



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petri Thyraei, E Societate Jesu Doctoris Theologi, Et In  
Academia Herbipolensi Olim Professoris, Tractatvs De  
Apparitionibvs Sacramentalibvs**

**Thyraeus, Petrus**

**Dilingae, 1640**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64272)

ms  
titel  
si-

79

N 111. 15.  
26

Th. 4879.

INSTITUT FÜR  
HISTORISCHES RECHT

UND VERGLEICHENDE RECHTSLEHRE

AN DER UNIVERSITÄT ZÜRICH

VERGLEICHENDE RECHTSLEHRE

VON DR. H. J. A. M. VAN DER  
KAMPT

LEHRBUCH

FÜR ANWÄLTE UND RECHTSWISSENSCHAFTLER

LEIPZIG

VERLAG VON F. A. BRODEUR

1881


ALLE RECHTE VORBEHALTEN

DRUCK VON F. A. BRODEUR

LEIPZIG

1881

ALLE RECHTE VORBEHALTEN



PETRI THYRÆI,  
E SOCIETATE JESU  
DOCTORIS THEOLOGI,

ET

IN ACADEMIA HERBIPOLENSI OLIM  
PROFESSORIS.

TRACTATUS

DE

APPARITIONIBVS  
SACRAMENTALIBVS,

IN QVIBVS SVB SPECIEBVS, ET  
formis peregrinis, atque inusitatis, Christus  
creditur exhiberi,

AD

GLORIAM MIRACVLOSI SA-  
CRAMENTI, QVOD AVGVSTÆ IN EC-  
clesiâ S. Crucis Canonorum Regularium S. Au-  
gustini colitur, illustran-

*Collegij S. Cr. in Paderborni, 6. 5. 8.*  
dam, *Denuo lucidior in lucem datus.*

Cum facultate Superiorum.

DILINGÆ Operis CASPARI SVTORIS.

ANNO M. DC. XL.

THE UNIVERSITY OF

THE STATE OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

THE UNIVERSITY OF TEXAS

*Handwritten signature or scribble*

A D M O D U M  
R E V E R E N D O  
E T

A M P L I S S I M O  
D O M I N O , D O M I N O

V I T A L I ,

C A N O N I C O R V M  
R E G V L A R I V M

S . A V G V S T I N I ,

A D S . C R V C E M  
A V G V S T Æ

P R Æ P O S I T O .



Q UOD annulo gemma, & cœ-  
lo sol est, Augustæ esse dixe-  
rim, Miraculosum Sacramen-  
tum, quod in sacrâ Æde tuâ  
A M P L I S S I M E P R Æ S V L , qua-  
tuor seculis & ampliùs, sub prodigiosis specie-  
bus Christum tegit, veluti sub nube Solem.

) ( 2

Etsi



## EPISTOLA

Etsi enim plurimis, Vrbs hæc verè regia, fulgeat ornamentis, etsi inquam, præter Pontificales infulas, Ecclesiasticorum, Religiosorumque quasi castrorum acies ordinatas, exhibeat, & in Republicâ quoque, viris nobilissimis præstantissimisque abundet: non tamen sidera hæc à se lucent, sed ab illo splendorem mutuuntur & vigorem, à quo est *omne datum optimum, & omne donum perfectum*. Cui pulcherrimum fœnus dependunt, qui talenta sibi collata, virtutum incremento multiplicant, quod Augustæ quidem, ex omnium hominum ordine faciunt quam plurimi. Sed quamvis variis ex causis, Urbis huius præstantia consistat, nihil tamen ita pretium eius accendit, quàm is, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, & cuius una stilla Sanguinis, saluum facere, totum mundum quit ab omni crimine*. Est nimirum huius annuli gemma diuina ad S. Crucem hostia, quæ cruentâ specie, latentis Corporis & Sanguinis Christi fidem facit, ingenti miraculorum cumulo contestatam.

Memi-

## DEDICATORIA.

Memini AMPLISSIME PRÆSVL, cum aliquando familiaritè hâc de re sermonem conferremus, Cænobio S. Crucis, & Vrbi Augustanæ tantùm Dei beneficium gratulantes: Te seu prouocante, seu cohortante, me cogitationem suscepisse, Mirabilis Sacramenti, tractatu aliquo Theologico illustrandi. Etsi enim id iam olim egregiè præstitit, & diligenter, vir insignis Henricus Institoris, hæreticæ prauitatis inquisitor, ex Sacro Prædicatorum Ordine, tractatu peculiari, qui ipsius autoris manu exaratus, & postea Norimbergæ typis impressus, extat in insigni Bibliothecâ tuâ: Scholastica tamen methodo contentus, exempla, & alia quædam, hisce temporibus vsui futura non adiecit. Quare parabam quidem pro tenuitate mea aliquid moliri, & calamus iam strinxeram, cum inopinato in hunc Petri Thyraei, è Societate IESV celebris Theologi, de Apparitionibus Sacramentalibus tractatum incidi; in eoque omnia, quæ ad Miraculosi Sacramenti, veritatem tuendam & gloriam illustrandam valere possunt aut debent, ita appositè ac solidè tractata reperi, vt quemadmo-

## E P I S T O L A

dum S. Hieronymus, libro tertio aduersus Pelagianos extremo, de libris S. Augustini loquitur, *super sedendum nouo labori censerem, ne dicatur mihi illud Horatij: In siluam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut si noua uoluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.*

Id ergo consultius visum est, vt hic tractatus, cuius iam vix aliqua in nostris terris supersunt exemplaria, **AMPLISSIMÆ D. T.** auspiciis & sumptibus, denuo in lucem daretur, aliquot additionibus meis auctior. Quibus Thesin Apparitionum Sacramentalium in communi, ad hypothesein Mirabilis Sacramenti Augustani reuoco, & quæ Thyraeus generatim disputauit, in hanc diuinissimam hostiam specialibus ex causis, rectè quadrare demonstro. Vti cernere est, parte 1. cap. 1. parte 2. cap. 2. parte 4. cap. 1.

Hanc tenuem opellam Miraculoso Sacramento à me debitam, eiusque venerationi stabilendæ destinatam, **AMPLISSIMÆ D. T.** nunc offero, & lubens merito consecro, non vna  
ex

## DEDICATORIA.

ex causa. Nam tibi debetur hoc quidquid est, utpote tuis auspiciis captum, tuis sumptibus perfectum. Accedit eximia caritas & benevolentia, qua cum Religiosis Canonicis tuis, & Societatem nostram vniuersim complecteris, & me priuatim pluribus iam annis profecutus es. Vellem sanè, ut luculentius grati animi monumentum statuere, virium mearum esset. Verùm ultra vota & conatus non datur assurgere; cum præsertim tibi AMPLISSIMÆ PRÆSVL, & mihi, propositum sit, hoc, quantillum est, referre ad laudem & gloriam eius, qui bonis nostris non eget, nec laudibus crescit. Illud ergo nobis succinamus, quod Ecclesia de SS. Sacramento præcinit:

*Quantum potes, tantum aude;  
Quia maior omni laude, nec laudare  
sufficis.*

Ipsè, qui sub cruenta hostia occultus, Corporis & Sanguinis sui præsentiam, prodigiosa specie manifestat, ac per tot secula, continuis & cætenatis veluti miraculis confirmat: quidquid hifce pa-

EPIST. DEDICATORIA.

ce pagellis explicatur, in gloriam suam, multo-  
rumque pietatem inflammandam vertat. Et Te,  
AMPLISSIME PRÆSVL, tanti thesauri custo-  
dem, imò verè suum Augustæ Thesaurarium, v-  
nà cum inclyto S. Crucis Cænobio, cœlestibus  
donis, omnique prosperitate cumulet. Et in æ-  
uum conseruet. Dilingæ. 21. Martij. An. 1640.

*Admodum Reuerenda, &  
Amplissima D. T.*

*Seruum in Christo*

HENRICVS WANGNERECK  
*Societatis lesu.*

TRA-

TRACTATUS  
DE  
APPARITIONIBVS  
SACRAMENTALIBVS

S V B

SPECIEBVS ET FORMIS PEREGRI-  
nis atque inusitatis.

**H**ae apparitiones, quoniam plusculum difficulta-  
tis habent, & à paucioribus sunt discussa, paulo  
altius requirunt Examen. Quocirca nobis in hoc  
tractatu propositum erit, ut primò harum appari-  
tionum doceamus veritatem, atq; conditionem. Deinde quid-  
nam sub ipsis contineatur. Tertiò, quae earundem, siue rerum  
quae apparent, causa sint efficientes. Quarto, qui fines. Quin-  
to, ac postremò, qui vsus. A primo initium facimus.

P A R S I.

De harum apparitionum veritate, atq;  
conditione.

C A P U T I.

*An dentur Apparitiones inusitatae, sub specie-  
bus non purè sacramentalibus, sed prodi-  
giosis & peregrinis.*

A

Dari

*Dari probatur varijs exemplis sequentibus.*

<i>Widekindi Ducis Saxonie.</i>	<i>Amalphantani Episcopi.</i>
<i>Hebraei cuiusdam.</i>	<i>Mulieris procacis.</i>
<i>Rustici in Auerniso.</i>	<i>Godeschalci religiosi.</i>
<i>Cinis Colonienfis.</i>	<i>Adolphi de Dioferne.</i>
<i>Marrone Itala.</i>	<i>Episcopi Liuonia.</i>
<i>Sacerdotis dubitantis.</i>	<i>Cuiusdam dubitantis de Eucharistia</i>
<i>Abbatis increduli.</i>	<i>Sacerdotis sordidi.</i>
<i>Plegili Presbyteri.</i>	<i>Mulieris infamis.</i>
<i>Sacerdotis Duacensis.</i>	<i>Rustici apud Carnotenses, &amp;c.</i>
<i>Pauli Form, Sacrilegi.</i>	<i>Mulieris Flandra.</i>
<i>Dorothea Lazecha.</i>	<i>Pueri Andegauensis.</i>
<i>Iudeorum Bruxellensium.</i>	<i>Presbyteri cuiusdam.</i>
<i>Petri Dani.</i>	<i>Huonis Linconienfis.</i>
<i>Mulieris Zelotypia laborantis.</i>	<i>Maria Oegniacensis, &amp;c.</i>
<i>Eduardi Anglorum Regis.</i>	

**D**ari aliquas, multorum ne omnium dicam, seculorum probant & confirmant historiae. Nos quibusdam exemplis id docemus.

I. Widekindum Ducem Saxonie, ante an. 800. incessit cupido lustrandi Caroli Magni castra. Vt lateret, habitum regium in mendici mutat; sed agnitus inter mendicos (cum quibus eleemosynam petebat) perducitur ad Carolum. Rogatus quid vidisset, post alia, sic inquit: Vidi hodierno die (erat is Sanctissimus Paschæ) te primum sollicitum, & ad rem attentissimum. Postea, verò, quam mensam adieras, templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis

me

me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis, singuli pulchellum, puerum in os susciperent: quem quibusdam ludibundum arridere, vltro properare, aliis verò abhorrentem auerisse vultum, & tamen in ora demissum nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit, necdum accipio. Tum Rex, Bene inquit, profecisti, plus tibi aliquid, quàm cunctis Sacerdotibus, & omnibus nobis ostensum est. Hoc miraculo Dux commotus, Christianam religionem amplectitur, Mindensis Episcopatus prima iaciens fundamenta. *Historiã pluribus refert Albertus Crantzius lib. 1. c. 9. Eccles. Historiã.*

2. Diuinum mysterium agente S. Basilio, Hebræus quidam, tanquam Christianus, se populo commiscuit, officium mysterij & muneris explorare volens. Vidit verò per manus Basilij infantem partiri. Et sacram communionem accipientibus omnibus, venit & ipse; datãque est ei hostia, caro facta; inde accessit ad calicem sanguine repletum, & ipsius particeps factus est. Atque de vtrisque seruans reliquias, abiensque in domum suam, ostendit vxori suæ ad confirmationem dictorum: narrauitque, quæ suis oculis viderat. Credens ergo verè, quod horribilia & admirabilia essent Christianorum mysteria, in crastinum venit ad Basilium, postulans sine dilatione accipere, quod in Christo est, signaculum. *Itã Amphilo- chium Episcopus, & Guitmundus in vitã Basilij, qui vixit An. 370.*

3. Rustico cuidam in Auernico territorio, à Mago persuasum fuit, vt si apes, quas in aluearijs fouebat, vellet conseruatas, hostiam consecratam in aluearia immitteret. Paret Mago, & à sacerdote acceptam ore,



retinens, in aluearium vnum conatur immittere. Verùm in terrâ illa delapsa, mox ab apibus in aluearium infertur. Non ità diu post, sceleris patrati conscientia compunctus rusticus, & de seipso quasi vindictam sumens, apes superiniectâ aquâ enecauit. Dum verò his extinctis, intima fauorum rimatur, conspicit corpus Dominicum in formam speciosissimi pueri immutatum, inter fauos & mella iacere. Quid faceret attonitus? Hoc capit consilij, vt acceptum puerum ad Ecclesiam deferat, & occultè sepeliat. Sed ex manibus ferentis ille disparuit. *Ex viâ Petri Cluniac. Abb. l. 1. de mirac. cap. 1.*

4. Anno 1331. Coloniae Agrippinae quidam sumptum venerabile Sacramentum, per vomitum eiecit in specie infantuli. Locus vbi accidit, multis quondam miraculis claruit. Nunc rem gestam testantur templum ibidem extructum, Collegium Canonorum Regularium, pictae Imagines, Sodalitas Sacramenti, &c.

5. Matronae cuidam mysteria daturus S. Gregorius, cum diceret: Corpus Domini nostri Iesu Christi, conseruet animam tuam, illa subrisit. Mox dextram vir Sanctus retrahens, partem Domini corporis super altare deposuit: & expletis Missarum solenniis causam risus à matronâ sciscitatur. Illa quamuis inuita, tandem: Quia inquit, panem quem propriis manibus confeci, tu corpus Dominicum perhibebas. Tum Gregorius cum plebe praesente, ad orationem conuersus, pro mulieris salute Deum precatur. Ab oratione surgens, inuenit hostiam carnem factam, quam coram cunctis incredulae mulieri ostendens, hanc ad fidem induxit, illos confirmauit.

Rur-

Rurfus deinde ad orationem conuersus, effecit, vt caro ad priorem formam rediret. *Habet hoc Ioannes Diaconus lib. 2. c. 41. in vitâ B. Gregorij Magni.*

6. Circa annum Domini 1264. Vulsiniis in ditio- ne Vrbeuetanâ, in Ecclesiâ S. Christinæ accidit, quòd Platinae verbis referimus. Dum Sacrificus quidam inquit, sacra Missarum solennia celebraret: sacramento iam confecto, de panis & vini transubstantiatione dubitauit, ex Christi corpore. Vnde statim (dictu & auditu mirum,) ex Sanctissimâ, quam in manibus tenebat hostiâ, viuus sanguis manare cœpit, & totam mappam, quam corporale vocant, tinxit. Corporale adhuc hodie asseruatur, & singulis annis in die Corporis Christi, in celebri supplica- tione deuotissimè circumfertur. *Platina, in vitâ Urbani IV.*

7. Senior quidam Abbas, non credebat præsen- tem in Eucharistiâ esse Christum. Vrgent hunc duo alij, vt cum vniuersâ Ecclesiâ sentiat, Christumque verè in Eu- charistiâ præsentem esse credere velit. Vbi nihil efficiunt, ad orationem se conuertunt omnes. Post octo dies, dum Sacrificanti adstant, panis super altare positus, videbatur his tribus tantum, tanquam paruulus puer. Cùmque sa- cerdos, vt panem frangeret, manus extendisset, videbatur ipsis Angelus de cœlo descendere, cultrum manu tenens: qui paruulum puerum sacrificaret, & sanguinem calice exciperet. Sed &, quando in frustra panem sacerdos diui- debat, etiam Angelus membra pueri in modicas partes scindebat. Accessit deinde senior, vt acciperet Commu- nionem, & data est ipsi hostia sanguine cruenta, vt ipsi soli visa est. *Quare exclamans: Credo inquit, Domine,*

A 3

quia

quia panis qui in altari ponitur, corpus tuum est. Et statim caro, quam manibus tenebat, in priorem panis formam rediit. *Accidit res hæc circa annum Domini 392. Metaphrastes in vitâ Arsenij, apud Surium tom. 4. & Garetium centuriâ 4. de Eucharistiâ.*

8. Presbyter quidam Plegilus nomise, à puero diuinis legibus imbutus, & propter amorem superni Regis omnia relinquens, petiit aliquando à Deo, sibi corpus & sanguinem, in Eucharistiæ Sacramento demonstrari. Voti fit compos; videtque super aram, patris filium, puerum, quem Simeon portare infantem, suis vlnis promeruerat. Visum contrectat, amplectitur, pectus pectori iungit, oscula figit. His exactis Christi membra restituit altari; & post orationem, quâ illum cupiuit restitui formæ priori panis, vidit eadem rursus restituta. *Sic Paschasius Corbeiensis, lib. de corpore & sanguine Domini in Eucharistiâ cap. 40. & seqq.*

9. Oppidum Duacense inter amplissimas ciuitates, Cameracum & Atrebatum situm est. Hic in Ecclesiâ Canonorum S. Amati Episcopi, cum sacerdos populum communionem sanctâ refecisset, vidit in terrâ hostiam iacere. Tentat eandem cum debitâ reuerentiâ leuare. Sed illa vltro quasi leuata, linteolo quod purificatorium vocant, adhæret. Renouâ attonitus, conuocat Canonicos; adsunt plures; conspiciunt ibidem corpus viuificum, in specie faciei venustissimi pueri; idem vidit aduocatus populus; nulli cœlestis visio negata est. Venit ad idem oppidum Thomas Cantipratensis, petiitque sibi exhiberi miraculum. Vidit ipse, & magna cum eodem hominum turba.

turba. Est omnium vna vox: se videre suum Saluatorem. Sed tamen ego inquit, Thomas, stabam attonitus, nihil videns, nisi tantum speciem panis albissimi, nihil quidem mihi conscius, quare corpus Sacrosanctum, in specie non viderem pueri cum cæteris. Nec diu, addit: cum ista mecum voluerem, vidi faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam habentem coronam in capite, & duas guttas sanguinis, de fronte ex utrâque parte nasi descendentes. *Hæc Thomas à Cantiprato, lib. de Apibus cap. 40. vixit anno Domini, 1467.*

10. Anno 1510. Idibus Februarij, circa horam noctis secundam, Paulus Form, in Marchiæ Brandenburgensis villâ Knobloch, è templo surreptam thecam argenteam & inauratam, quâ Eucharistia conseruabatur, cum sacrâ hostiâ vendidit cuidam Iudæo. Qui post multos ictus pugionis, videns eam integram permanere, irâ excandescens: Si tu es, inquit, Deus Christianorum, te ipsum manifesta. Mox hostia in tres partes diuisa, sanguine per oras maduit. Eo territus Iudæus, postquam illas particulas panno inuolutas apud se detinisset, missis duabus ad duos alios suæ factionis, tertiam iterum pugione confodit; sicque denuo sanguinis guttulæ dimanarunt. Tunc timens, ne scelus proderetur, absumere eam voluit; sed cum non posset, proiecit in flumen; deinde illâ erantante, in ignem, demum cum intacta esset, commiscuit azymo; ac vbi furno imposuisset, ille alioqui obscurus resplenduit; & massa azymi, cui tertia illa particula erat immixta, in Iudæi faciem insiliit. Re à Magistratu cognitâ, Paulus Form forcipibus discerptus est, & in cineres redactus. Iudæi omnes  
illius

illius Marchiæ, carceribus inclusi sunt Berolini. Ex quibus habitâ quæstione, cum inter alia flagitia faterentur, se septem Christianorum infantes, acubus & punctonibus peremisse, eorum 38. flammis traditi sunt; & duo qui ante mortem baptizari petierunt, capite sunt plexi. *Genebrardus ad annum 1510. ex Suriij, Historiâ rerum memorabilium.*

11. Anno Domini 1556. in Poloniæ regno, ancilla quædam, Dorothea Lazecha nomine, in oppido cui nomen Schazeto, Episcopatus Posnaniensis, seruiuit Iudæo nomine Bischeim, siue Benedicto. Sollicitatur ab hoc, ut sibi sacratissimum Christi corpus procuret; promittit eidem tres daleros, ac vestem rubram sericis fimbriis obductam, si voto satisfaciat. Fœmina in peruigilio Paschæ Sacramentum cum aliis accipit, & ex ore detractum hero Iudæo defert. Re perfectâ tres alij Iudæi (quorum nomina Michalerus, Sachaus, & Iosephus) memoratum Benedictum accedunt; Eucharistiam ad Synagogam deferunt; pugionibus & cultris confodiunt; & ecce multus dimanat cruor, quem illi in vitreum calicem colligunt. Res non diu latuit; ancilla cum hero comprehenditur; & die Veneris post Ascensionem Christi, vterque ex mandato Sigismundi Regis, publicè flammis exurit; reliqui tres Iudæi, post sunt exusti. *Ità Pontanus lib. 5. rerum memorabil. & Surius in Commentario.*

12. Anno Domini 1369. Iudæi quidam Bruxellæ, in Brabantia commorantes, nocte Capellam S. Catharinæ, prope Bruxellam ingressi, secum hostias consecratas, clam inde auferunt, easdemque vsque ad diem Parasceues, Christianis propter memoriam Christi passionis sacram,

cram conseruant. Tum verò in illas cultris atq; ferramentis, vthistoria habet grassati, libidini suæ satisfaciunt. Sed mox signa miraculosa, tanquam guttæ sanguinis, in iisdem comparent. Hostiæ adhuc hodie demonstrantur; & multis miraculis, iam à multis annis redduntur illustriores. *Exiat de ha. Liber R. II. Theodori Loer, Caribustini Colonienfis, è Notariorum publicis instrumentis conscriptus, & Anno 1532. in lucem editus.*

13. Pignus habebat malæ & impuræ vitæ Sacerdos quidam Petrus, cognomento Danus, apud Iudæum cui nomen Eleazarus, à quo Petrus sextantem aurei Rhena- ni acceperat. Cum satis locuples pignori redimendo non esset, & tamen omnino sibi illud restitui cuperet, aliàs atque alias cogitationes fouebat, multumque angebatur. Obseruat hoc Iudæus; petit sibi duas hostias consecratas dari pro pignoris redemptione, offerens in super dimidiū aurei. Offert & affert sacrilegus hostias. Iudæus eas ad futurum filię suæ nuptiarum tempus asseruat, volens his nuptias filię reddere festiuiores. Non latuit res hæc alios Iudæos. Ergo, cum iam in nuptiis, nuptiali cõuiuio prope modum finis esset impositus, expetunt illi hostias. Ille pactus cum iis fidem silentij, easdem producit, in quas, quam olim in Christum, concluderant iam Tyrannidem, se exercituros. Proiicit in mensam Eleazarus hostias; primus pugionem in illas stringit; sed mox sanguis vbertim effluens, per triplicem pannum ad supernam assulam, mensæ peruenit. Miraculo perculsi omnes, vix sibi sunt præsentés. Eleazarus verò assumpto animo, alios ad simile facinus inuitat; qui dum parent, manantem rursus

B

ex

ex hostijs sanguinem conspiciunt. *Ad longum rem totam in isto libello prosecutus est Nicolam Marescalcus Thurinus. Accidit verò Anno Domini 1492. 8. Idus Iulij, in monte Stellarũ, Ducatum Megabolensis.*

Refert Petrus Damianus, in tractatu de quibusdam miraculis, mulierem fuisse, quæ maritum haberet, suspectum de adulterio, eamque consilij causã maleficam accessisse; illam verò suasisse sumeret consecratam, hostiam, illamq; certis carminibus incantatam marito offeret; fore sic, vt ab adulterio desistat; vbi hæc illa pararet, inuenit hostiam ex mediã parte in carnem conuersam, alterã formam panis retinente. *Ita Damianus apud Surium tom. 7.*

14. Amalphitanus quidam Episcopus (nomen ignoratur) retulit aliquando Stephano Romano Pontifici, sub iuramento. Quod cum in mysticã actione, aliquando de veritate corporis & sanguinis Domini, in Sacramento Eucharistiæ dubitaret; in eiusdem fractione rubra & perfecta caro apparuerit, quæ etiam digitos cruentaret. *Et hoc Damianus. Quod sequitur, habet Bozius lib. 14. de Notis Ecclesiæ, cap. 7.*

15. Nouum miraculum contigit Aufidi in Piceno. Siquidem Anno 1273. quædam mulier cum sumpsisset, ore Eucharistiam, non deglutiit, sed seruata secum detulit, vt illã vteretur ad amorem mariti sibi conciliandũ per veneficia. Quamobrem sic malis artibus edocta, super prunas in tegulã proiecit. Quo facto, mirabile dictu, coepit Eucharistia apertissimè in carnem conuersa, sanguinem latè emittere, itã vt prunas extinxerit; neque cohibe-

hiberi potuit cruoris eruptio, donec canduerint carbones; quamuis mulier nihil non egerit, iniiciendo cinerem, puluerem, ceramq; apponendo. Tum nouo euentu attonita, linteo regulam cum carne diuinâ & sanguine inuoluens, stabuli propinqui, stercorei infodit. Latuit res annos septem; quamuis aliquot miracula euenerint, quæ undenam nascerentur, alios quidem latebat, mulierem non ita, facti ac sceleris sui consciam. Iis exactis illa tandem aperuit rem gestam Sacerdoti; qui cum se eò contulisset, reperit intactam carnem, sanguinemq; recentem, linteumque illæsum. Miraculum patefactum, cunctisq; diulgatum, ex omnibus locis in numeros ad sui spectaculum commouit; & commouet adhuc post annos tercentum, & sexdecim. Visitur enim caro, visitur sanguis vitreis ampullis inclusus, ad tantæ rei memoriam sempiternam. Neque post tanta temporum spatia, quidquam ex iis corruptum, aut tabefactum. *Hec Thomas Bozius.*

16. *Cæsarius plures refert similes Apparitiones lib. 9.* Vnam cap. 2. quâ religioso viro Godeschalco, de castro Wolmenstein oriundo, apparuit sub specie pulcherrimi infantis, dum Missarû solènia peragit die Natalis Domini.

17. Alteram cap. 3. quâ Adolpho de Dioferne, leuiculo Sacerdoti, & de veritate corporis Christi, in Sacramento addubitanti, apparuit in eodem Missæ officio, nunc in specie pueri, quem mater sinu foueret; nunc in specie agni; nunc in specie crucifixi.

Tertiam cap. 4. quâ in Eucharistiâ corporalibus oculis, Christum vidit Episcopus Liuoniæ.



Quartam cap. 5. quâ cuidam dubitanti, non hostia seu species panis, sed carnis visa est.

Quintam cap. 6. pluribus prosequitur, docens fuisse sacerdotem, qui cum hostiâ (quam ore continebat) ad amorem cuiusdam turpem sibi conciliandum abuti vellet, diuinitus prohibitus est templo egredi: vt hostiam proinde ore extractam sepeliuerit. Verùm cum cōscientiâ sceleris compunctus, cum alio Sacerdote peteret locum, vbi hostia erat sepulta, terramque remoueret: inuenit non hostiam, sed carnem crucifixi Christi formam referentem. Idē autor sequentibus capitibus multis exemplis docet, in calice obseruatum esse sanguinem.

18. *Ref. xi & Rolandus de Monte, ad Chronicon Sigeberti, circa Annum Domini 1180. quatuor alias Apparitiones huius generis.*

Prima facta est mulieri infami in solennitate Paschæ, apud Castrum, dictum Mons aureus, quæ hostiam quam ore sumptam domum tulerat, reperit conuersam in carnis & sanguinis effigiem.

Alterā similis conuersio, facta est sacerdoti hostiam manibus tenenti, in villâ Abbatis S. Petri Carnotensis.

Tertia similis accidit in Carnotensi Episcopatu, tempore Roberti Episcopi Britanni, rustico, qui ad finem vitæ suæ Eucharistiam apud se conseruare constituerat.

Quartam eiusdem generis, obseruauit mulier Flandra.

His adiunge duas alias ex eodem autore, in quibus non caro, sed species pueri visa est inter Missarum solen.

lennia. Prima contigit soli puero in Andegauensi ciuitate.

Altera pio Presbytero, iuxta Fiscanum in die Dedicationis Ecclesiæ SS. Trinitatis. *Hæc Rolandus.*

19. Legitur in vitâ Hugonis Linconiensis, quod sanguis manârit ex hostiâ, cum illam malæ vitæ Sacerdos, vt fieri solet, in Missæ sacrificio frangeret. Eidem Hugoni, non rarò Christus in formâ pueri apparuit, quando sacris tremendis ille operabatur, sub quâ formâ eundem Hugone celebrante, etiam adstantes obseruârunt. *Surius hæc in vitâ Hugonis.*

20. Apud eundem Surium to 3. de SS. refertur in vitâ S. Mariæ OEgniensis, quod viderit Christum in formâ pueri, immenso lumine coruscantem circa ædiculam, in quâ Sacrosanctum Sacramentum asseruabatur.

21. Sic Eduardus Anglorum Rex, dum Missali sacrificio interesset, in manibus Presbyteri sacrificantis, Christum eâ formâ conspexit, quam de Virgine matre sumpsit. *Et hoc Surius tom. 1. & Marubus lib. 4. & Albertus in vitâ Eduardi.*

### Additiones.

- |                                |                              |
|--------------------------------|------------------------------|
| 1. Mulieris Augustana.         | <i>Cometani.</i>             |
| 2. Presbyteri Itali.           | 5. Miraculi Scabulitani.     |
| 3. Presbyteri Parisiensis.     | 9. Presbyteri Florentini.    |
| 4. Victoria Hispanorum de Mar. | 7. Oualdi Muller in Seefeld. |

1. Anno 1194. Mulier quædam Augustæ Vindelicorum, in Ecclesiâ S. Crucis Canonorum Regularium S. Augustini, sacram hostiam in Com-

munione perceptam ore clam exemit, & ceræ inclusam, quinque annis domi detinuit. Cum verò conscientiam urgente, Berchtoldo S. Crucis Præposito rei seriem aperuisset: isq; ceram quâ sacra hostia continebatur, mediam scidisset, species carnis tenuis & rubæ apparuit: quæ una cum cerâ ab Vlsalco Episcopo Augustano, crystallo inclusa fuit, ita vt sine fracturâ ne queat aperiri. A quo tempore, hucusque per annos quadringentos triginta duos, eadem sacra hostia sub miraculosâ hâc specie, sic clausa in dicto Monasterio fideliter fuit conseruata, publicèque visa, ostensa, culta, & maximis continuisque miraculis à Deo illustrata.

*Rei totius seriem perscripsit eodem quo gesta est tempore, Gilbertus Saxo. Et rursus confirmârunt Anno 1507. Iudices Curia Augustana. Nuper verò Germanicè, unâ cum miraculis in Lucem emisit R. P. Octavianus Lader. & paulo post Latinè edidit R. P. Anastasius Vochitius, uterq; eiusdem inclyti Ordinis & Cœnobij Canonicus Regularis, pari studio ac pietate erga Miraculosum Sacramentum accensus. Cuius tanta est celebritas & Miraculorum gloria, vt merito ad eam illustrandam, fideliumq; mentes in eius venerationes accendendas, hunc tractatum additionibus nostris auctiorem, denuo typis subiiciendum existimauerimus.*

2. Refert Guitmundus ex Lanfranco, se puero in Italiâ contigisse: vt quidam Presbyter Missam celebrans, veram carnem super altari, verumque in calice sanguinem reperiens, sumere trepidaret. Rem protinus Episcopo suo defert, quid agendum sit, exquirens. Episcopus aduocatis ad consilium multis Coepiscopis, de communi sententiâ, calicem cum carne & sanguine diligenter opertum, sum-

mâ

mâ cum reuerentiâ in altaris medio inclusit, ac pro diuinissimis reliquiis perpetuò hæc referuanda decreuit. *Id recitat Bozium l. 14. de signis Eccl. sic c. 7.*

3. Scribit Villaneus, Anno 1258. cum quidam Presbyter sanctissimam Missam Parisiis celebraret in sacello quodam aulae regiae, populòque ostendendam diuinissimam Eucharistiam sustulisset in altum: pro specie panis, plurimos qui aderant, conspexisse formosissimum puerum. Quocirca nonnulli rogârunt Presbyterum, vt tamdiu subsisteret manibus in altum porrectis, quoad Rex accerferetur. Certior autem tanti miraculi factus Rex Ludouicus, negauit se eò profecturum, quod non credentibus hæc signa existerent: sibi verò persuasissimum esse, verè in Eucharistiâ Christi corpus esse. *Hoc Villaneus, qui tempora illa videtur attigisse.*

4. Anno 1239. Cum maximæ Mahometanorum copiae, procederent in Regno Valentiae aduersus exiguas nostrorum, & res ad extremum redacta esset: sex e nostris ducibus ad Deum confugere, & Eucharistiae percipiende consilium ceperunt. Et quando non aderant Presbyteri, quibus cuncti milites sua confiteri peccata possent, ipsi sex id agere constituerunt. Verum dum Presbyter iam celebrasset Missam, protinus ad arma conclamatum, neque sumendae Eucharistiae tempus superfuit. Quocirca Deo freti Duces, aduersus inimicos processere. Presbyter inops consilij, particulas sacratissimas linteolis, quae corporalia vocamus, inuolutas, sub lapide occultauit. Victis mirabiliter inimicis Presbyter vt praedictos duces sanctissimo Christi corpore communicaret, produxit illas  
par-

particulas; sed linteolis explicatis vidit sanguineis guttis resperfas, & linteis affixas. Res diuulgata cunctos admiratione repleuit. Et haud multo post rumor adest, inimicos copiis relictis aduentare. Nostri confirmatis praesenti periculo animis, aduersus illos progressi petierunt, vt ex edito loco, quasi vexillum in hostes, lintea producerentur. Quo facto in fugam conuersi sunt inimici. Cum nostri redeuntes non conuenirent, quo loco mappulae cum sacris particulis reponerentur: fortibus res permissa est. Quibus eductis, scheda Dorchorae oppidi ter est lecta. Sed vt Dei voluntas esset testificatio, consensere, vt pyxidi inclusae particulae, summam cum reuerentiam supra mitem mulam collocarentur: & quomodo illa libertati suae relicta pergeret, & vbi consisteret, ibi locus esset tanto miraculo. Mira res; Dorchoram versus illa iter suscepit; & quamuis a multis alio pelliceretur propositione pabuli, nunquam tamen conquieuit, donec eam peruenit. Et hospitale oppidi ingressa substitit in medio, ac genibus flexis est morata. Ac ne quid posthac dorsum exciperet minus nobile, protinus expirauit. Innumera mortalium multitudo ad tantum spectaculum confluxit. Et reseruata lintea cum particulis vsque ad haec tempora incorruptis, ac sanguine resperfis visuntur, & quotannis publice ostenduntur. Extantque publica monumenta, quibus tanta res est consignata. Quis potest accedere, & tanto spectaculo, vbi velit, dignus fieri. *Meminerunt huius rei post alios Ludovicus Granatensis, in Introduct. Symboli, parte 2. & Lucius Marinus Siculus lib. 5. de rebus Hispanicis, cap. de sacris adibus. Dom. Sotus 4. d. 11. q. 1. a. 8. alijque Doctores Hispani; et si aliqui pro Dorchora ponant Doracam.*

s. Mi-

*Miraculum Scabalarum factum: esse. c. liberrimum in regno Lusitania testatur Stephanus Fagundez Lusitanus, lib. 5. in 1. preceptum Ecclesie, cap. 7. n. 1. ubi ait multos eò confluente, multa videre in speciebus Sacramentalibus reseruat in ampullâ Angelorum manu fabricatâ, vitreâne an Crystallinâ nescio, inquit, utrumq; enim refert.*

Sed miraculi causam, tempus, & modum nō narrat; id solum adiungit n. 4. quod vnus Christum cruci affixum, alius ad columnam plagatum cernit, alius instar æterni patris mitratum, digitisque sursum conspicit eleuatis; itâ vt ex circumfusâ hominum multitudine, paucieandem figuram inspiciant, vt audio. Quamuis ego, inquit, attentè, & non cursim, vt ferè omnes vident, per aliquod spatium illud viderim; & semper hisce planè oculis viderim frustulum carnis, instar orbicularis rotundæque particulæ, quâdam illius parte instar coloris violacei, aliâ non itâ violacei coloris, sed quæ magis ad album accedat, suis maculis distinctum.

6. Sacerdos quidam nomine Huguccio, Florentiæ Anno 1230. in æde S. Ambrosij, non totum sanguinem sumpsit in diuinissimâ Missâ, sed aliquam eius partem dimisit. Dein verò, cum calicem cepisset in manus, vidit reliquas guttulas in sanguinem conuersas, in tres partes diuidi, & protinus in vnum coire. Re obstupefactus cœpit in lacrymas erumpere. Multi accurrunt; in his Abbatissa & moniales ædis illius; post multa ampullam vitream dant, in quam sacerdos sanguinem transfudit. Die verò tertiâ sanguis ille apparuit in carnem conuersus, intrâ ampullam in aera sublatus, ex omni parte ab omni re diuisus, ac

C

sibi-

sibimetipsi innixus. Ardingus Episcopus tum Florentinus, rem voluit propius cognoscere, ac certò deprehendere; & nulli non euentus tam mirabilis perspicuus fuit. Adhuc conseruatur in æde S. Ambrosij Florentiæ intra ampullam crystallinam caro illa, (quamuis eius species sint obscuratæ,) cunctis eò proficiscentibus visenda, narranturque plurima in eam rem miracula. *Ità Bozius lib. 14. de signis Ecclesiæ, cap. 7. ex Villaneo & S. Antonino.*

7. Anno 1384. Osuualdus Müller ex nobili profapia in Seueid ditionis Tirolensis, tempore Paschali, maiori hostiâ, & non vt cæteri laici, minori communicare nitebatur. Cui ex timore Parochus assensit. Sed dum venerabile Sacramentum supra linguam antedicti Osuvaldi poneretur, ecce miraculosè ante altare terra se aperit, ac si ipsum Osuualdum prorsus deglutire vellet; & in illam vsque ad genua cecidit. Ille verò manibus latus altaris apprehendit; sed altare instar ceræ mollescere cœpit, manibusque cessit. Osuualdus præsentem Dei vindictam perferens, mox pœnitentiâ ducitur, veniam à Deo precatur. Cùmque hostiam deglutire non posset, Deo id non permittente, sacerdos eam in Sacrarium reponit, quæ etiamnum hodie isthinc, sanguineo colore diuinitus tincta, & ex linguæ saliuâ, non nihil contracta conspicitur. Vbi etiam iam inde, vsque ad nostra tempora plurima fiunt miracula. *Refert Bredenbachius lib. 1. collat. c. 35. ex tabulâ ænicâ, in templo pagi Seueid suspensâ, qui se omnia coràm inspexisse testatur, & plura alia admiranda de SS. Eucharistia recenset.*

*Bozius quoque cit. lib. 14. de signis Ecclesiæ cap. 7. mentionem*

nem facit miraculi planè similis illi, quòd ex eodem supra n. 16. retulimus. Citat verò autorem *Arnoldum Lubecensem lib. 4. hist. Slauon. c. 14.* qui id prodigium cunctis testatissimum fuisse scribit in *Thuringiâ, & Diœcesi Moguntinâ*, ubi res contigit. Addit tamen plurimis, & publicè indicèis precibus à Deo fuisse impetratum, ut caro & sanguis Christi reciperet species panis ac vini, Moguntiamque tanta rei fuisse monumenta translata. Haud dissimilia refert *Fulgosus, lib. 1. memorabil. cap. 6.*

## CAP V T II.

An allatis precedenti capite exemplis, sufficienter fides fiat Sacramentalibus Christi Apparitionibus in Eucharistiâ,

Plurimum pro ipsis faciunt,  
Ipsarum multitudo omni  
fere tempore.

Earundem varietas.

Testes diuersissimi.

Pluralitas conditionis &

Sexus, quibus ostensa.

Hostie prodigiosa, &


Sanguis, quæ inueniantur.

Miracula, quæ hodie, &  
semper facta apud has hostias.

Annales regnorum, ciuitatum.

Scriptores docti & pi, qui ipsas  
descripserunt.

Similia prodigia, quæ circa  
Eucharistiam acciderunt.

I.  Deò nostris temporibus quidam difficiles sunt ad fidem rebus Christianæ religionis accommodandam, ut quæ non ipsi oculis propriis conspiciunt, aut nullo modo, aut certè difficulter credant. Hi quemadmodum cum Apo-



stolo Thomâ repræhensione sunt digni, ita optandum ut cum Thomâ, etiam iis, quæ non vident, credant.

2. Et in propositis I. Cap. exemplis, pluribus fortassis hoc contingit, ut difficulter iis credant; & ob id nullam fidem velint adhibendam Apparitionibus hisce Sacramentalibus sub peregrinâ specie. Nobis igitur propositum erit hoc capite breuiter indicare, & quod fidem allata exempla mereantur, & quod de veritate harum apparitionum dubium esse non possit.

3. Probat igitur in primis hoc ipsum, quod non vno tempore circa venerabile Sacramentum ipsæ sunt obscuratæ. Sed omni propemodum, quo ut Apparitiones fierent, aut Dei honor, aut hominum salus, aut etiam utrumque merito postulare potuit.

4. Probat summa varietas, quæ in ipsis obseruata est. Neque enim vno eodémque modo perfectæ sunt omnes. Nunc species pueri exhibita est, nunc carnis, nunc sanguinis, nunc ipsa hostia sanguine rubens; atque hæ ipsæ aliâ atque aliâ formâ, quemadmodum allata exempla demonstrant.

5. Probant diuersarum religionum testes. Non Christiani solum atque Catholici, quorum fortassis suspecta fides videri posset, has notârunt. Notârunt etiam Hæretici & Apostatæ à fide; notârunt crudeles Iudæi; notârunt Gentiles; & singuli plures, variâsq̃.

5. Probant omnis sexus, ætatis, & conditionis homines. Nam & mulieribus Apparitiones hæ factæ; & quibus plus quam illis creditur, viris. Rursus in genere virorum paruulis pueris, adultæ ætatis hominibus, & perfectæ

æta-

ætatis senibus. Probis item, & quorum sancta, & innocens conuersatio; atque iis, quorum & dissoluti mores, & vita corrupta.

7. Probant, quæ multis in locis inueniuntur adhuc hostiæ cruentæ (*videa, quæ apud S. Crucem Augusta visitur.*) Species sanguinis & carnis, quæ reuerenter asseruantur, magno Christianorum studio pie inuisuntur, & multis modis honorantur. An non vel hæ solæ, Argumentum magnum hic præbent?

8. Probant, quæ ad eandem species carnis & sanguinis, cruentasque hostias facta sunt, hodiè que fiunt prodigia atque miracula. Quorum meminerunt, & Thomas Bozius, & Theodorus Loer Carthusianus. Ut omittam suspensas in horum memoriam tabulas, & anathemata. *Miracula tam vetera, quam recentia, Augusta ad S. Crucem, virtute miraculose Sacramenti ibi asseruati patrata, in Thaumaturg. Eucharistico descripsit R. P. Anastasius Vochetius, ibidem Canonicus Regularis.*

9. Probant locorum, vbi ipsa acciderunt Maiestas & dignitas, Nam quæ olim, antequam illis Apparitionibus notarentur, profanos vsus habuerunt, illa post Apparitiones in sacros sunt mutata; & diuino solum cultui cōsecrata; & suspensis imaginibus, nunc cunctis Apparitionum veritatem confirmant.

10. Probant Annales Regnorum, Regionum, Ciuitatum, Prouinciæ; qui & supplicia referunt sumpta de sacrilegis, qui in sacratissimas hostias manus iniecerunt, & rei gestæ in hoc Apparitionum genere seriem diligenter annotant, posteritati hæc re egregie consulentes.

11. Probant viri egregij sanctitate illustres, & singulari doctrinâ excellentes, qui huius Apparitionis varias descripserunt historias: quibus idcirco facilius fides adhibetur, quod cur fabulas vendere voluerint posteris, causas nullas habebant; cur veritatem non relinquere, plurimas.

12. Addimus his, quod tam facile accidere potuerunt, quæ Capite præcedenti retulimus, quàm quæ olim accidisse referunt circa idem Eucharistiæ sacramentum, B. Cyprianus, Chrysostomus, Sozomenus, atque Ioannes Moscus. Quorum primus testatur eandem in cinerem, conuersam; alter panem suppositum conuersam in lapidem; tertius Eucharistiam germinasse culmos & spicas.

13. *Ioannes Moscus ergo cap. 79. Prati spiritualis sic habet.* Vir quidam erat in ciuitate Seleuciâ, negotiator, valde religiosus & diues, sed hæreticus; erat enim de Seueri sectatoribus. Habebat autem seruum fidelem quendam S. Apostolicæ Ecclesiæ communicantem. Hic iuxta prouinciæ consuetudinem die sancto Cœnæ Domini, sumptam communionem inuoluit in linteo purissimo, & in armario posuit. Contigit autem, vt post sanctum Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negotij cuiusdam gratiâ, dimissâ per obliuionem S. Communionem in armario. Quâdam verò die aperiens armarium Dominus inuenit linteolum, inuolutasque sanctas particulas Communionis. Contristatus autem in hoc hæsitabat, quidnam de illis faceret. Nam exipsis communicare nolebat, eò quod essent sanctæ Ecclesiæ Catholicæ,  
ipse

ipse verò Seuerianæ hæresis. Et tunc quidem dimisit eas in armario, vt erant, cogitans quia rediturus erat seruus, & sumpturus eas. Cum autem venisset Cœna Domini, neq; seruus ille fidelis redisset: voluit eas Dominus ipsius comburere, ne rursus & in secundum annum seruarentur. Apertoque armario vidit omnes sanctas particulas, culmos & spicas germinasse. Vnde ingenti timore comprehensus in nouo admirandoque spectaculo, sumens sanctas particulas, & cum omni domo suâ clamans, Kyrieleyson, cucurrit ad sanctam Ecclesiam, & venerabilem Dionysium Episcopum. *Hæc Moscus. Addit deinde, quomodo plurimi hoc miraculo conuersi sint. Quod sequitur, recitat Sozomenus lib. 8. Eccl. hist. cap. 5. & contigit circa annum Domini, 412.*

14. Vir quidam è Macedonianâ hæresi, vxorem eiusdē opinionis habebat. Hic cum Ioannem Chrysolomum, quomodo de Deo sentiendum esset, docentem audisset, dogma illius laudabat, & vxorem quoque vt secum sentiret, hortabatur. Cùm verò illa magis nobilium mulierum sermonibus, quàm illius consuetudini obtemperaret, & post frequentes admonitiones vir illius nihil effecisset: nisi inquit, in diuinis consors fueris, neque in vitæ communione posthac eris. Mulier hoc audito, & consensum pollicita, rem eam famule cuidam communicat, quam sibi fidat: esse iudicabat: illiusque operâ ad fallendum virum vtitur. Circa tempus autem mysteriorum (sciunt initiati, quid sit, quod dico) illa quod accepit continens, quasi oratura procumbit; famula adstans clanculum illi dat panem, quem secum in manu attulerat. Hic cum den-

tibus admoueretur, in lapidem congelascit. Mulier per-  
terrefacta, metuens ne quid mali propter eam rem, quæ  
diuinitus acciderat, contingeret: ad Episcopum cur-  
su contendit, ac seipsam prodens lapidem ostendit,  
adhuc morsus vestigia habentem. Simulque veniam cum  
lacrymis petens, viro suo se consensuram pollicetur.  
Quod si cuiuspiam hoc incredibile videtur, lapis ille testis  
est; qui etiamnum inter clenodia Ecclesiæ Constantino-  
politianæ asseruatur.

*Cyprianus breuior est. Serm. de lapsis s. inter aliam mirac.  
hoc affert.* Et quidam alius inquit, & ipse maculatus, sacri-  
ficio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est  
latenter accipere; sanctum Domini edere, & contrecta-  
re non potuit; cinerem se ferre apertis manibus inuenit.  
*Ita Cyprianus Martyr.*

## C A P V T III.

*Varias admodum esse Apparitiones Sacramen-  
tales sub peregrinâ specie, & inusitatâ; &  
diuidi easdem posse.*

*Pro ratione formarum,  
que videntur.*

*Pro ratione hominum, quibus  
fiunt Apparitiones.*

*Pro ratione temporum &  
locorum, quibus fiunt.*

*Pro ratione effectuum, qui  
sequuntur Apparitiones.*

*Pro ratione finium, qui Deo  
potuerunt esse propositi.*

I. Exem-

I. **F**emplorum copia, quæ multa variæque relata sunt, multiplices quoque variæque suggerunt, & suppeditant Apparitionis huius sacramentalis, sub peregrinâ inusitatâque specie, diuisiones. Et quia in his & specierum fit mentio, sub quibus Apparitiones perceptæ sunt: & hominum tam illorum, qui quocumque modo earundem causa fuerunt, quàm quibus ipsæ factæ: temporis item atq; loci, quo perfectæ: effectuum etiam atque finium, qui Deo potuerunt esse propositi: ex singulis licebit ipsas & distinguere, & diuidere. Res hæc, quia in sequentibus nobis seruiet, hic prætereunda non est.

2. Ergo ratione specierum possunt sic distingui, vt in ipsis dicatur vel cum Sacramentali specie, alia aliqua percipi: vel percipi sola species peregrina, absque Sacramentali, quæ est panis & vini; priores illæ rariores fuerunt, posteriores frequentiores.

3. Peregrinarum autem specierum modi sunt varij. Aliquando enim forma hominis est obseruata; aliquando non hominis, sed partis hominis; aliquando tertia aliqua, quæ Christi crucifixi typus esset & index. Et hominis formam nunc infans visus exhibuit, nunc Christus crucifixus. Partem hominis nunc caro testata est, nunc sanguis, nunc manus, nunc facies. Neutrum horum fuit, sed Christi typus, Agnus: quem semel apparuisse lego apud Cæsarium, cuius figuræ etiam meminit Paschasius.

4. Rursus in harum aliis nunc splendor quidam, & claritas accedens Apparitiones reddidit illustriores; nunc nullus accessit, sed nuda species aut hominis, aut partis hominis obseruata est.

D

5. Pro

5. Pro conditione hominum, qui his Apparitionibus occasionem vel causam dederunt, distingui possunt, ut aliæ dicantur factæ Iudæis; aliæ Gentilibus; aliæ Hæreticis; aliæ Catholicis partim malis, partim bonis. Et Iudæi suâ crudelitate ferè iis dederunt occasionem; Gentiles studio cognoscendi religionis Christianæ mysteria; Hæretici suâ incredulitate; Catholici pii vitæ probitate, & Christi videndi desiderio; mali peruersâ vitæ volûtate, quâ vel Sacramentis voluerût abuti, vel indignos eorum se exhibuerunt ministros. Apud Iudæos ostendit Christus suam potentiam; apud Gentiles, Hæreticos, peruersosque Catholicos clementiam, & desiderium eorum salutis; apud bonos & pios, ipsiusq; mandatorum studiosos, benignitatem.

6. Possunt & ratione hominum distingui, ut quædam dicantur petitæ à Deo, & precibus obtentæ; quædam quasi extortæ; quædam nec petitæ, nec extortæ, sed vltro oblata. Petita illa, cuius meminimus, n. 8. c. 1. Extorta illa Iudæo sacrilego facta, cuius hæc infana vox fuit: Si tu es Deus Christianorum, ostende & c. n. 10. Nec petita, nec extorta, sed vltro oblata illa, quam habuit Dux Saxonniæ Widekindus, n. 1.

7. Rursus ratione personarum non malè distinxeris, si quasdam pluribus factas dicas, quasdam paucioribus, aut vni soli. Quasdam etiam viris, quasdam mulieribus. Inter quas hoc discriminis quidam obseruant, quod quæ viris & paucioribus sunt factæ, sint plures: contra quæ mulieribus & pluribus, sunt pauciores.

8. Si extempore distinctio petenda, potest constitui

tui

tui duplex. Nam aliæ dicentur factæ tempore incruenti sacrificij; aliæ extra sacrificij tempus, quales in illis hostiis obseruatæ fuerunt, quæ olim à Christianis domi conseruabantur: & iis, quas quidam sacrilegis Iudæis perforandas vendiderunt.

9. Similiter pro loco possunt distingui. Aliæ siquidem in profano acciderunt, aliæ in consecrato, vt omnes, quæ inter sacrificiorum Christianorum solennia sunt obseruatæ.

10. Ratione effectuum partiri licebit dupliciter. Nam vel affectuum, quos in hominum animis pepere-  
runt, potest haberi ratio; vel fructuum, qui ipsas sunt consecuti. Ibi vel gaudium, spiritualémque voluptatem est obseruare; vel admirationem; vel timorem, atque stuporem. Hic quia aliquando fructus secutus est, aliquando nullus, distinguentur commodè in fructuosas, & infructuosas. Fructus in Fidei, Spei, Charitatisque cernitur virtutibus; quarum si nihil est, infructuosæ Apparitiones dicentur.

11. Pro ratione finis, qui in ipsis potest esse propositus, distribuentur, vt in aliis consolatio dicatur esse proposita, & gaudium mentis; in aliis terror; in aliis instructio. Consolatio in iis, in quibus Deus hominibus singularis sanctitatis, præsentia suæ singularia Argumenta dare voluit. Terror in iis, qui temerario ausu Sanctissima Sacramenta tentârunt profanare, & Christo insultare. Instructio in iis, qui ignorantia Christianorum mysteriorum laborârunt, non culpabili, aut finali. *Frequenter plu-*




res fines in unam Apparitionem coincidunt; & effectus quoque supra enumerati fines dici possunt.

12. Hæc pro varijs Diuisionibus Apparitionis Sacramentalis, sub specie peregrinâ. Singula exemplis illustrare potuimus, sed lectori hunc laborem relinquendum existimauimus; propterea, quod sibi ipse sufficiens esse possit, ex iis, quæ cap. i. sunt dicta. Ex quo & alias diuisiones licebit colligere.

CAPVT IV.

*Ad quod genus Apparitionum hæc Sacramentales sub specie peregrinâ & inusitata pertineant.*

<i>Pertinent non ad intellectuales.</i>	<i>visa est, accidit mutatio.</i>
<i>Non ad imaginarias; non auriculares.</i>	<i>Vt quando omnium sensus idem iudicauit.</i>
<i>Sed ad visibiles, siue oculares.</i>	<i>Quando item magnus timor allatus.</i>
<i>Non semper in speciebus Sacramentalibus accidit mutatio.</i>	<i>Quando sanguis calice exceptus, Item mappas &amp; lintea infecit.</i>
<i>Vt quando à paucis visa peregrina species, aut Christo non conuenientes.</i>	<i>Quando species per multos annos conseruata.</i>
<i>Quando fructus &amp; finis easdem nõ postulant.</i>	<i>Frequentius ex parte rei, siue specierum nulla fit mutatio.</i>
<i>Nihilominus vera aliquando, que</i>	<i>Iuxta regulas S. Thome.</i>

1.  Nitio lib. i. de diuinis Veteris Testamenti Apparitionibus, quatuor Apparitionũ genera distinximus, ex sententiã doctissimi Alpho-

Alphonfi Tostati, Episcopi Abulensis, *tum alibi, tum præcipuè q. 2. super cap. 9. lib. 3. Regum.* Oculares, alias Auriculares, alias Imaginarias, alias Intellectuales. Cuiusnam generis sit hæc, quam oratione prosequimur, sub peregrinâ & inusitatâ specie Sacramentali, nunc est explicandum; præsertim cum constet hanc in numero esse Apparitionum, & certum sit omnem ad harum aliquod genus reuocari.

2. Facile verò quis hic se expediuerit, qui & dictarum Apparitionum, & præsentis nostræ expenderit conditionem. Cum enim illarum duæ internæ sint, Imaginaria scilicet, & Intellectualis: præterea externæ duæ, Ocularis & Auricularis, hanc mox ab illis separarit: propterea quod hæc nec solâ imaginatione, nec solâ Intellectus internâ operatione perficiatur.

3. Sicut haud difficulter constituet, ad quam Externarum reuocari debeat. Auricularis esse non potest; quod illa aurium officium requirat, nostra nullum habeat. Quid ergo? Ocularem esse oportet. Atque ita est; indéque constat, quod in oculos atque visum incurrant, aut incurrere existimentur, quæ in, vel cum Sacramentalibus speciebus noua & insolita obseruantur.

4. Facilius hæc sunt definita, difficilius illud: qualis nam sit Visio, siue Ocularis Apparitio? Triplicem enim licet distinguere. Vna siquidem contingit ex parte visus, siue visuræ potentiæ tantum, quando extra oculum nihil est eius, quod videri iudicatur. Altera, quando cum potentiâ medium tantum concurrat: dum scilicet extra oculum res aliqua existens in oculum incurrat, sed tamen

reuera non illa est, quæ existimatur videri. Tertia, quando ad hæc duo etiam accedit obiectum, quod videri dicitur, illudque in potentiam visus per medium, sui speciem transmittit, adeoque in potentiam agit: quæ perfecta verâque est visio. Quæ igitur harum trium hæc visio est?

5. Primam quis semper hic existimauerit esse: ideoque non verè in, vel circa Sacramentales species vllam fieri mutationem, quæ in oculos incurrat, sed præter fascinationem, aut delusionem esse nihil. Alius fortè in medio, per quod visus fit, quicquid videtur, effingi. Nos vt fieri aliquando non negamus, ita negamus fieri semper.

6. Tria ergo hic censemus probabiliter dici. Primum est, non semper in re, siue specie Sacramentali existere, quod existere quibusdam videtur; siue non semper specierum Sacramentalium fieri mutationem, aut alterationem. Nam si v.g. verè caro, vel puer, vel sanguis fuit, quando hæc videri visa sunt in Sacramenti exhibitione, qui fit, quod qui præsentis Sacramentali actioni fuerunt, & Sacramentum exhiberi conspexerunt, nihil horum notârunt? Notârunt, viderunt, obseruârunt autem solas species Sacramentales, nullum infantem, nullam carnem, nullum sanguinem. Ergo cum species peregrinas notârit vnus aut alter, Sacramentales plurimi, potius species has permanisse, quàm in peregrinas mutatas esse, credendum est; & non plurimum sensibus vim illatam, quàm vnus aut alterius impositum, vt viderent.

7. At sæpe plurimos Sacramentales tantum species vidisse: vnum verò aut alterum peregrinas & inusitatas,  
mul-

multis exemplis est clarum. Nobis sufficiunt ex plurimis tria. Primum est Widekindi Ducis Saxoniae, qui solus speciem infantis in os communicantium vidit inferri, unde bene ad ipsum Carolus Imper. Tibi inquit, plus quam Sacerdotibus, & nobis omnibus ostensum est, c. 1. n. 1. Alterum est Hebraei, qui & ipse solus vidit puerum, communicantibus porrigi, quem non videbat, qui sacrosanctum Sacramentum porrigebat Basilius, cap. eod. n. 2. Tertium est Abbatis, qui hostiam, quam conspiciebat, cruentatam vidit, quae sociis incruenta apparuit. cap. eod. num. 3.

8. Praeterea subita specierum mutatio, quam notaverunt, qui peregrinas se observasse existimaverunt, confirmat, quod dicimus. Si enim verè illa specierum fuerat mutatio facta, quid opus erat, ut peregrinae species mox subtraherentur iis, in quorum gratiam acciderant? Subtractas verò mox, docet exemplum Adolphi de Dioferne, cuius c. 1. n. 17. mentio facta. In huius enim manibus vno quasi momento Sacramentales species nunc pueri, nunc agni, nunc Crucifixi formam acceperunt.

9. Et quis reuera rem gestam, & non potius nudam visionem, & quae in re fundamentum nullum habuerit, dixerit Apparitionem, quam iam dictus Abbas cum sociis habuit: illam inquam, quae visus est Angelus puerum, conficere & offerre; membra item partiri atque secare, quoties Sacerdos Sacramentales species partiebatur? Res recitata est c. 1. n. 7.

10. Cum deinde haec Apparitiones, ut plurimum, acciderint ob priuatas priuatorum hominum causas: ad  
fidem

fidem videlicet, vni vel alteri faciendam, vel confirmandam: aut vt quorundam pietati satisfaceret: aut denique impostorum & impiorum, confunderetur temeritas & audacia, certè non necesse semper fuit specierum Sacramentalium in peregrinas fieri mutationem: cum etiam, iis saluis dicti effectus in animis hominum, apparentibus tantum rebus potuerint perfici, quemadmodum apparentibus tantum rebus sapissimè sunt perfecti.

11. Sed & sine miraculo quasi, hæc specierum, transmutatio aut alteratio secundum quosdam non contingit. Neque enim eam vim esse existimant naturæ, vt panis species in carnis, aut pueri, vini item in sanguinem, commutare ita subito possit, vt commutatæ in quibusdam Apparitionibus videntur. Quàm verò rara sunt miracula? quàm frequentes hæ Apparitiones? sed miracula nõ nisi ex magnis necessariisque causis fiunt, quæ hic non semper videntur esse.

12. Neque tamen impositum hominibus esse hæc ratione dicendum est, quando puerum, aut carnem existimârunt se videre, quæ reuera nec caro erant, nec puer: quemadmodum neque impositum à Domino discipulis in Emaus, quando sub peregrini specie eundem conspexerunt, neque Magdalenæ, quando veluti hortulanum, vidit, qui tamen reuera nec peregrinus erat, nec hortulanus. Sicuti enim sub peregrini & hortulani specie, præsentiam suam testatam Dominus voluit esse, ita hic sub specie peregrinâ testari, se verè in Sacramento præsentem esse: quamuis reuera non puer esset, aut caro, quod videbatur.

13. Cæ-

13. Cæterum quando in speciebus Sacramentalibus nulla facta est mutatio, dupliciter accidere potuit visio peregrinæ speciei, siue Sacramentalis sub peregrinâ specie Apparitio. Primò, vt extra visum, rei quæ videri existimatur, fuerit nihil, quam visionem phreneticis & febre laborantibus familiarem esse nôrunt omnes. Deinde, vt circa species Sacramentales, aut in medio aere, qui inter illas & visum intercedit, imago rei quæ videri existimatur, formetur: illâque in oculum videntis, intentionali, vt vocamus, specie sese insinuet, visionemque, siue Apparitionem efficiat. Atque hoc sit Assertorum primum. Addimus

14. Secundum. Sed tamen, quamuis non semper in re, siue in specie Sacramentali, accidat mutatio alteratione, in eâque quod apparet, insit, accidere tamen, quandoque, nemo potest dubitare. An hic omnium sensus semper potuit errare? & quod omnes viderunt, & existimauerunt se eodem modo videre, id non esse, aut fuisse quod videbatur, credi debet? At non rarò accidit, vt idem omnes viderint. Quæ hostia à B. Gregorio, mulieri subridenti primùm oblata, sub panis specie, post communem præsentis turbæ orationem in carnem versa est: eandem sub carnis specie non mulier solùm, verùm etiam B. Gregorius, & quotquot præsentis mysticæ actioni fuerunt, sub carnis specie viderunt, & eousq; sub carnis specie permansit, quousque vt ad pristinam speciem rediret, cõmuni- bus precibus fuit obtentum. Vide cap. 1. n. 5. Rursus alia, quæ in Duacensi oppido, è terrâ leuata infantem retulit, hanc non sub panis, sed infantis specie cunctus populus,

E  
qui

qui ad prodigium conspiciendum aduocatus fuit, aspexit. De quâ cap. 1. n. 9.

15. Præterea timor & trepidatio harum specierum intuitu incussus, vehementer confirmat, quod asserimus. Quamuis enim hæc etiam nudam quandoque opinionem atque existimationem sequantur, & non semper externo obiecto excitentur: externo tamen & facilius, & melius, & vehementius excitantur. Quanta verò quosdam trepidatio, quantæ angustiae in his Apparitionibus inuaserrunt? Testatur id Iudæus, qui sanguinem ex hostiâ manantem cernens, quid ageret ignorabat; nunc hostiam in flumen coniicit, nunc in ignem, nunc in azymo cōmiscet: omnibus modis miraculum, quod ipsi præsentissimum, supplicium erat allaturum, obscurare contendens. n. 10.

16. Ad hæc accidit, quod sanguis non solum sit visus, sed etiam aliquando calicibus exceptus; aliquando manus cruentarit; aliquando ignem extinxerit. An hic semper sensuum fuit iudificatio? Non sanguis exceptus, sed excipi visus est tantum? non infectæ mappæ, sed infectæ visæ? non manus cruentatæ? non ignis extinctus, sed visus extinctus? Cæterum hæc facta esse, Elenchus exemplorum cap. 1. probat. Vitreis calicibus sanguinem Iudæi exceperunt, qui in Eucharistiam sæuierunt in regno Poloniae, de quibus cap. 1. n. 11. Sanguis infecit altaris mappas, qui ex hostiâ fluxit, quam addubitans Sacerdos consecrauit in Ecclesiâ S. Christinæ Vulsiniis, in ditio- ne Vrbeuetanâ, de quo n. 6. & ex duabus illis, quas confodit Eleazarus Iudæus, de quo, n. 13. sic manus suas cruentas obseruauit Sacerdos, de quo n. 19. Et ignem extinxit ille,

ille, qui Aufidi in Piceno fluxit aliquando ex hostiâ: & nunc vitreis ampullis inclusus, religiosè asseruatur ad perpetuam rei gestæ memoriam. Vide n. 15. eod. cap.

17. Accedere videtur & hoc, quod non visa modò aliquando pueri species, sed manibus excepta, & aliquò vsque gestata sit: quemadmodum, quem inter aluearia reperit, & ad Ecclesiam detulit occultè sepeliendum ille, cuius cap. 1. n. 3. facta est mentio; & quam sibi exhiberi petiit in Sacramento Sacerdos Plegilus, qui quem puerum vidit, contrectauit, complexus est, pectori admouit, osculis datis profecutus est, de quo n. 8.

13. Maius adhuc argumentum præbent, quæ hodie adhuc multis in locis extant Sacramentales species, sanguine quo aliquando maduerunt, rubentes. Talis est illa hostia Bruxellensis, à Iudæis pugionibus confossa, quæ etiamnum religiosè & asseruatur, & colitur. Talis, cuius Thomas Bozius meminit, quæ innumeros ad sui spectaculum commouit, iam ab annis ter centum sexdecim, de quâ n. 16. *Tales sunt, sacra hostia in linteis Dorchoræ asseruata, ut ex eodem Bozouio retulimus n. 4. addit. Talis est hostia sanguineo colore, quæ Augusta in Monasterio S. Crucis religiosè asseruatur, ut retulimus n. 1. addit.* Hoc secundo loco sit dictum.

19. Tertium his addidero. Frequentius ex parte rei, siue specierum Sacramentalium, nullam factam mutationem, rarius factam; præsertim quando vel pueri, vel faciei, vel carnis, vel manus forma apparuit. Probant hoc, quæ ad primum Assertorum nostrorum allatæ sunt rationes: & confirmat communis omnium ferè opinio, qui



rarissimas hinc credunt accidere reales transmutationes.

20. Seruiunt quoque hinc, quas pro hac re assignat regulas S. Thomas, 3. p. q. 76. a 8. Duobus ille veram, realémque mutationem deprehendi existimat: constantiâ siue duratione rei visæ, deinde multitudine, siue pluralitate videntium. *Contingit inquit, talis Apparitio per realem mutationem, quando talis species ( pueri scilicet, vel carnis ) ab omnibus videtur; & non ad horam, sed per longum tempus permanet, [ ut Augusta & Dorchora. ] Nullam autem fieri immutationem ex parte Sacramenti contingit, quando vni videtur sub specie carnis vel pueri, alijs tamen videtur, sicut & prius sub specie panis. Vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis.* Hæ sunt regulæ S. Thomæ. Iam verò species, quarum meminimus, rarius ab omnibus visæ sunt; & quando visæ, ad breue admodum, tempus sunt visæ; quocirca & rarius realis transmutatio est facta.

*Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in magorum præstigijs: quia talis species diuinius formatur in oculo, ad aliquam veritatem figurandam; ad hoc scilicet, quod manifestetur verè corpus Christi esse sub hoc Sacramento; sicut etiam Christus absq; deceptione, apparuit discipulis euntibus in Emmaus. Dicit enim Augustin. in lib. 2. cap. vlt. de quest. Euang. quod cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, ait S. Thomas ibid.*

## P A R S II.

De re, siue materiâ harum Apparitionum.

**P**rimam partem, quæ est de Apparitionibus Sacramentalibus sub peregrinâ & inusitatâ specie, absoluiimus. Secundâ iam, res quæ in Apparitionibus apparent, & in oculos incurrunt, discutiendæ sunt. Et principio quidem, quàm varia illæ sint, explicandum; deinde quidnam ipsæ sint, siue quid contineant, aperiendum. In illo minus est difficultatis propter ea, quæ allata sunt parte 1. cap. 1. In hoc plurimum, propter varias doctissimorum hominum sententias.

## C A P V T I.

Sub quibus, & quot formarum generibus, Sacramentalis sub peregrinâ & inusitatâ specie, Apparitio obseruata sit.

Obseruata est sub specie Infantis.

Christi Crucifixi.

Christi venientis ad iudicium.

Faciei Christi.

Carnis humana.

Carnis cruentata.

Manus humana.

Carnis partim, partim panis.

Sanguinis separati.

Hostie cruentata.

Agni immaculati.

Fortè & aliarum rerum.

E 3

1. Rec

I. **R**epetenti historias rerum præteritarum, quæ Sacramentalis sub peregrinâ & inusitatâ specie Apparitionis, mentionem fecerunt, decem propemodum formæ, vel facies offeruntur: quibus Christus quodammodo apparuisse, & visus esse dici potest. Quarum quædam prorsus à Sacramentalibus sunt alienæ, quædam cum iis coniunctæ.

2. Prima omnium sit, quâ species Infantis, siue pueri est visa. Hanc Apparitionem Windekindus Saxonix Dux habuit, quando simulato habitu, curiosius Christianorum ritus, homo adhuc infidelis, in aulâ Caroli Magni voluit, perscrutari, quemadmodum dictum est n. 1. cap. 1. p. 1. Hæbreus item, qui turbæ fidelium se immiscuit tempore Basilij, explorare volens & ipse Christianorum mysteria, de quo ibid. n. 2. Tertio, rusticus, qui hostiam, quam accepit, in alvearia immisit, spe conseruandarum apum, de quo ib. n. 3. Quarto, ciuis Coloniensis, qui per vomitum hostiam reddidit, ib. n. 4. Quinto, Abbas senior, qui cum sacrificanti Sacerdoti adstaret, non panem sed puerum in altari conspexit, de quo ib. n. 7. Sexto, Presbyter Plegilus, postquam inusitatam hanc visionem, à Deo precibus magnis obtinisset, de quo ib. n. 8. Septimo, puer in Andegauensi ciuitate, cuius meminit Robertus de Monte, ad Chronicon Sigeberti. Nos eius mentionem fecimus ib. n. 10. Octauo, Godescalcus de Wolmenstein, de quo ibid. n. 16. qui ipso Natalis Domini die, dum sacrificium altaris Deo offerret, pulcherrimum Infantem conspexit.

3. Altera, quâ non infantis aut pueri, sed Crucifixi  
Chri-

Christi, ad iudicium venientis, species & imago ostensa fuit. Meminit prioris Cæsarius, lib. 9. cap. 3. docetque Apparitionem hanc habuisse Adolphum quendam, licentioris vitæ Sacerdotem; dum malâ conscientiâ sacrificaturus altare accessisset, & sacrificij tempore, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistiâ, addubitaret. Vide p. 1. c. 1. n. 17. Eodem modo Caro in Crucifixi formâ inuenta est à sacrilego Sacerdote, qui sacram hostiam, quâ abuti cogitârat, sepeliuit, de quâ ibid. n. 17.

Porro posterioris, scilicet ad iudicium venientis, meminit Thomas Cantipratensis in historiâ, quæ Duaci in templo S. Amandi, circa venerabile Sacramentum accidit.

4. Tertia visa est, quâ non Infantis aut pueri, non etiam Crucifixi perfecta species visa est, sed faciei tantum Christi, & quidem nunc pueri, nunc adultæ ætatis. Huius unam exemplum reperio apud Thomam Cantipratensem, quod Duacensibus concessum est, in Ecclesiâ Canonicorum S. Amati; & notatum non à Canonicis solum, verum etiam frequentissimo populo, rei nouitate excitato: adeoque obseruatum & posteritati traditum, ab ipso Cantipratensi Thomâ, ex quo nos rem gestam descripsimus, l. c. n. 9.

5. Quarta est, quâ nihil hæcenus dictorum est obseruatum, inusitato tamen cum horrore caro exhibita est. Talis fuit primùm illa, quæ in vitâ Gregorij Magni describitur, & in gratiam incredulæ mulieris à Deo est concessa, & à pluribus obseruata, de quâ l. c. n. 5. Deinde alia, quam habuit Amalphitanus Sacerdos, & ipse de veritate Cor-  
po-

poris Christi, in Sacramento Eucharistiæ addubitans, de quo, n. 14. Affert & huius quatuor Exempla Robertus de Monte, ad Chronicon Sigeberti, quorum superius mentio facta est, l. c. n. 18.

6. Quinto loco sit, quâ non nuda caro, sed caro nunc sanguine fluens, nunc sanguine madens ostensa est. Prioris horrendum, certissimumque exemplum refert Bozius in muliere, quæ hostiam sacratam prunis superposuit; quæ mox in carnem conuersa, tanto sanguine fluxit, ut prunas extinxerit. Posterioris Robertus de Monte, in aliâ muliere, quæ sacratam hostiam, cistæ incluserat, quam cum homo impurus aperiret, carnem sanguine manantem, non hostiam inuenit. Prius exemplum allatum est, n. 15 posterius, n. 18.

7. Dicitur quoque in manum conuersa Eucharistia, quod sexto loco sit dictum. Exemplum huius legere nondum licuit. Eius tamen Apparitionis meminerunt, qui de hoc Apparitionum genere scripserunt, Conimbricenses in cursu Philosophico.

8. Septima huius Apparitionis forma est, quâ partim caro obseruata est in Eucharistiæ Sacramento, partim panis species. Meminit huius Petrus Damianus, in tract. de Miraculis, docetque similem hostiam visam, quando altaris Sacramento, mulier per summum maleficium abuti voluit ad mariti sui à se alioquin alieni, amorem conciliandum. Exemplum paulo pluribus relatatum est superius, l. c. n. 18.

9. Octaua forma sit, quâ sanguis à Sacramentali specie fuit diuisus & separatus; ut primum fuit, qui circa  
Annum

Annum Domini 1264. totam mappam (corporale vocamus) tinxit, de quo, n. 6. Ille deinde, quem calice vitreo exceperunt Iudæi manantem ex hostiâ, in quàm sacrilegè saucierunt pugionibus, de quo, n. 11. Et præterea ille, qui triplicem pannum vsque ad suppositam mensam penetravit, & ex hostiâ fluxit, quam petulanter in filia suæ nuptis confodit impius Eleazarus, de quo, n. 13. Deniq; ille, qui perterruit Sacerdotem impuræ vitæ, quando altari adstans, hostiam in partes sacrificantium more diuisit, de quo, n. 7.

10. Nona sit, quâ sanguinea signa in hostiâ sunt deprehensa. Deprehendit hæc de veritate Corporis Christi in Sacramento, hæsitans Abbas, de quo, n. 7. Deprehendit Iudæus, qui hostiam à Paulo Form emptam confodit in in Marchiâ Brandenburgensi, de quo, n. 10. Deprehenderunt Iudæi, quorum mentio fit n. 12. qui sedecim hostias Bruxellis, clam ex D. Catharinæ sacrâ æde furati sunt, & perfoderunt. *Huc quoq; pertinet hostia, quam Augusta asservari, diximus p. 1. c. 1. addit. n. 1. item particula in linteis Dorchorensibus, de quibus ib. n. 4.*

11. Denique præter iam dictas, species Agni etiam legitur exhibita, & quidem inter ipsum etiam sacrificium Missæ. Testatur hoc Cæsarius de Adolpho Sacerdote vitæ impuræ, & de veritate Christi corporis in Sacramento dubitante, cuius mentio facta, l. c. n. 17.

12. Atque his modis Apparitionem hanc Sacramentalem, sub peregrinâ & inusitatâ specie perfectam esse notauimus. An pluribus acciderit, quæri potest; accidisse vix dubium est; præsertim cum neque omnes, que

literis sunt commendatæ, à quoquam facile possint cognosci.

13. Verum quidquid de hoc sit, illud certissimum est, pluribus modis hanc Apparitionem contingere potuisse. Quemadmodum enim in aliis Apparitionibus tam personalibus, quam impersonalibus, Christus alias atque alias formas assumpsit: & quemadmodum homo factus, nunc sub infantis, nunc pueri, nunc adolescentis, nunc viri specie visus est; ita hic quâ voluit, potuit formâ apparere, & videri velle.

14. Discutiendum hoc loco esset, quæ harum formarum & modorum fuerint rationes, & cur has præ alijs assumere voluerit. Verùm quoniam hæc commodius explicabuntur, quando huius Apparitionis fines inquirentur: hic omittenda, & contenta harum formarum investiganda sunt.

## CAPVT II.

*Quodnam fuerit contentum specierum insolitarum, quæ in Eucharistia Sacramento acciderunt: Et in principio, An Christus, vel Christi caro, aut sanguis, illæ fuerint sub iis, quæ sint visa.*

*Omnipotentia Dei fieri potest, ut appareat in Sacramento.  
sub propria specie Christus, Quia non repugnat idem corpus  
quemadmodum est in cælis, pluribus locis esse.  
Eadens*

*Eadem Dei omnipotentiâ fieri potest, ut Christus verè appareat in Sacramento sub specie pueri.*

*Quia potest ipse, quam vult, formam assumere.*

*Eadem omnipotentiâ, potest verè sub formâ Agni apparere.*

*Probat id Apparitio sub specie Sacramentali.*

*Quandocunq; in his Apparitionibus, nulla fit in speciebus Sacramentalibus mutatio, verè est, & manet sub iis Christus.*

*Quandocunq; saluâ specie Sacramentali, sub formâ peregrinâ (in quam videtur, sed nō est conuersa Sacramentalis) apparet, vel infans, vel caro, &c.*

*Non illa Christum continent, nec sunt Christus, aut eius caro, &c.*

*Quia forma peregrina in aere tantum, aut organo sensuum est.*

*Quandocunq; specierum Sacramentalium aliquid perma-*

*net, illud verè Christum continet, quamuis peregrina ad Sacramentalem accedat.*

*Quia saluis speciebus manet Christus.*

*Non personaliter aut realiter est, aut videtur Christus, quando hostiâ mutata apparet aut puer, aut crucifixus.*

*Quia nec conuenit ibi Christum esse.*

*Nec necessarium ibi Christum esse.*

*Non Christi est caro, aut sanguis, qui mutatis speciebus Sacramentalibus aliquando apparet.*

*Eadem huius, quæ præcedenti, rationes.*

*Quandocunq; in dictis Apparitionibus tanta in Sacramento mutatio non facta est, quin sub iis substantia panis & vini possit subsistere, verè manet Christus.*

*Ut plurimum in his Apparitionibus verè adest Christus.*

*Quia ut plurimum, manent saluæ species Sacramentales.*

I.



*Intentorum nomine substantias intelligimus, quæ sub speciebus visibilibus latent. Quemadmodum enim in aliis rebus, aliud est species, quæ per se videtur, & in*



oculos incurrit (Physici vocant per se obiectum visus) Aliud quod per species indicatur, (vocant obiectum per accidens:) ita in hac Apparitione species est, quæ per se videtur, Contentum, quod species indicat, & prodit.

2. Et species hæc, quemadmodum variæ atque diuersæ sunt, ita varias atque diuersas substantias indicant; quocirca & de variis substantiis est quæstio. Sed prima atque præcipua est, an verè realiter, *ἀντὶ τοῦ ὁμοιωτός*, siue personaliter Christus fuerit sub omnibus quæ hæc sunt, obseruata speciebus; sub specie inquam pueri, crucifixi, agni, carnis, sanguinis, &c. Aliæ sunt minus principales; an scilicet fuerit verus & viuus infans, qui apparuit, verus agnus; item vera manus, vera caro, verus sanguis. Prius illud hoc capite inuestigandum est.

3. Distinctione autem ante omnia opus est duplici. Altera est facti, & potentiae. Vel enim hæc loqui possumus de potentia, & definire, quidnam per Dei potentiam fieri potuerit aut possit. Vel de facto, & docere, quid verisimiliter factum esse, aut fieri existimemus.

4. Altera distinctio ex parte Sacramenti sumitur. Nam in hac Apparitione, vel nulla facta est mutatio in speciebus Sacramentalibus panis & vini, vel facta est aliqua. Priori illo modo accedunt species peregrinæ ad Sacramentales; illæque vel in oculis intuentium tantum resident, vel in medio efformantur, aut sunt iuxta Sacramentum Corporis Christi. Posterior modus varius est.

5. Quoniam in mutatione specierum Sacramentalium, contingit vel aliquid specierum Sacramentalium, sub propria formâ manere, & aliquid mutari; vt si ho-  
stia

stia ex parte retineat speciem panis, & ex parte accipiat speciem, siue figuram carnis: vel eius nihil quasi manet sub formâ propriâ, sed aliam formam accipit.

6. Atque hoc rursus potest distingui. Nunc enim species pueri, aut Crucifixi, aut agni apparet, nunc carnis aut sanguinis; idque sub eâdem quantitate & qualitate, sub quibus substantia panis & vini potest conseruari; vel iis tantum immutatis, vt panis & vini substantia non possit esse subiisdem.

Distinctiones has præmittendas iudicauimus, tum quod in re difficili, cum maiore liceat versari luce; tum quod vnâ responsione propositæ quæstioni non possit fieri satis; tum etiam, vt membris distinctionis respondeant membra responsionis, siue Asserta, quæ hic putamus octo assignari debere.

7. Primum ergo Assertorum sit. Omnipotentiâ Dei fieri potest, vt sub propriâ specie, quemadmodum in cœlis ad dextram Patris residet, Christus in Sacramento appareat. Negant hoc quidam Thomistarum; verum, communior iam plurium asserit sententia. Atque ex eo manifestum est fieri posse, quod credatur aliquando factum: vt vno eodémque tempore, & in cœlis fuerit Christus, & in terris eâdem formâ spectabilique specie. Hoc porro, quia alias à nobis demonstrabitur, hic pluribus docendum non erit.

8. Addimus & eâdem Dei Omnipotentiâ fieri posse, vt non eâdem solum, quâ in cœlis conspicitur, formâ appareat & adsit: verum etiam appareat, & adsit pueri formâ, aut Crucifixi, aut carnis. Qui enim olim peregrini at-

que hortulani formam assumpsit, quid prohibet, cur minus possit assumere pueri, Crucifixi, carnis? Et quid in nobis sub his formis potest adesse, qui iam adest sub specie panis & vini? Confirmant hæc vehementer illi, qui etiam in his Sacramentalibus sub peregrinâ specie Apparitionibus, verè volunt adesse Christum, quales sunt Alensis 4 p. q. 53. memb. 4. a. 3. Gabr. lect. 51. in Canonem.

9. Præterea addimus Dei Omnipotentiam posse fieri, ut verè realiterque Christus appareat, & adsit sub formâ agni. Et hoc probat Apparitio eius Sacramentalis. Neque enim minus possibile est, ut adsit sub agni specie, quàm panis & vini. Verùm non quid possit fieri, sed factum sit, fiatque in hisce, de quibus nobis sermo est Apparitionibus, aperiendum est.

10. Ergo sit secundum Assertum. Quodocunque in hisce Apparitionibus, nulla fit in speciebus Sacramentalibus immutatio, verè realiterque est, manetque sub speciebus Sacramentalibus Christus, qualescunque circa Sacramentum peregrinæ percipiuntur apparitiones: in quas Sacramentum conuersum esse videri possit. Hoc propter illos sit dictum, qui quando sub peregrinis formis Apparitiones fiunt, existimare possunt, Christum Sacramentum deserere, & ad peregrinas formas transire. Non desinit vnquam Christus esse in Sacramento, quamdiu nulla in Sacramento facta est mutatio, quamdiu species Sacramentales sunt saluæ; hæc si desinant, tum demum Christus desinit in iisdem esse.

11. Atque de hoc asserto tam parum dubitant Catholici, quàm parum dubitant de veritate verborum Christi,

sti. Ipse vi verborum Diuinorum, vult elementa transmutari in suum sanguinem & corpus; vultq; hæc ipsa ibidem esse, non tum solum quando Sacramenta sumuntur, verum etiam, quando sunt atque existunt. Quocirca quia existunt, dum supersunt species elementorum, ipse etiam his superstibus præsens erit. Sed de hoc plura, in tractatu de Apparitione Christi Sacramentali.

12. Tertium assertum sit. Quando saluâ Sacramentali specie sub formâ peregrinâ (in quam Sacramentalis videtur, sed non est conuersa) apparet vel infans, vel caro, vel quid aliud: non illud Christum continet, Christi que carnem vel sanguinem, neque horum est aliquid. Visionem enim hanc non Sacramentum, quod Christum continet offert, sed species Christi vel in medio aere efficta, vel in organo visus producta. Vtro verò modo accidat, vt Christus personaliter adsit, non est necesse: quamuis personaliter sensibilibus oculis percipi existimetur. Quemadmodum enim in imagine, rectè dicitur videri Imperator, ità rectè hic dicitur videri Christus: quando etiam non ipse, sed ipsius species videtur, vt ibi species Imperatoris tantum.

13. Et res hæc clara est, si visio ipsa solius organi operatione, absque externo obiecto perficiatur, vt perfici sæpius est verisimile. Quis enim dixerit Christum personaliter in hominum esse oculis? Nullæ res secundum suas substantias visum occupant, omnes per species sul percipiuntur. Et Christus igitur per speciem dicetur videri.

14. Similiter, si ex medio visio occasionem causam

ſamque accipiat, neceſſe eſt in illo Chriſtus ſe ſiſtat, vt videri verè dici poſſit. Multarum rerum ſpecies & formæ effingi poſſunt, in medio aere ſenſibus obiecto, quarum ſubſtantix longiſſimis diſtant ſpatiis.

15. Deinde Apparitionum, quæ hoc modo fiunt, finis eſt, vt ſub ſpeciebus Sacramentalibus adeſſe ſignificetur verum Chriſti corpus atque ſanguis, adeoque Chriſtus ipſe. At non neceſſe eſt, verè Chriſti eſſe corpus, verumque eius ſanguinem, quæ verum corpus, verumque ſanguinem ſignificant. Hedera ſuſpenſa, vinum venale non eſt, & tamen vinum venale ſignificat. Imago Imperatoris, verus Imperator non eſt, & tamen verum ſignificat Imperatorem. Verus Deus non erat Angelus, qui dicebat: Ego ſum Dominus Deus tuus, Exodi. 20. qui tamen verum Deum ſignificabat, verique Dei perſonam ſuſtinebat. Quot in veteri lege, verè rerum noui teſtamenti figuræ erant, quæ tamen aliud erant à noui Teſtamenti veris rebus?

16. Præterea, magno hic opus eſt miraculo, ſi verum Chriſti corpus, vera eius caro, ſanguisque extra Sacramentales ſpecies conſtitui debeat. Neque enim vllâ creatâ vi poteſt fieri, vt qui in coelis eſt Chriſtus, idem eodem temporis articulo, ſit cum hominibus in terris. Quid verò miraculo ſemper eſt opus?

17. Denique in his Apparitionibus, quando ſaluis ſpeciebus Sacramentalibus, peregrinæ pueri, infantis, carnis, &c. ſunt viſæ: ſi vera Chriſti caro, Chriſtusque aduiſſet, hæc non vnus aut alter, ſed plurimi qui vno eodemque loco fuiſſent, notâſſent. At contrarium, vt alia  
omit-

omittam, docet exemplum Windekindi Ducis Saxonix, qui solus pulcherrimum infantem conspexit. Nisi fortè omnium aliorum oculos, dicas tum suis functionibus fuisse priuatos, vnius VVindekindi sibi relictos.

18. Addimus tribus quartum assertorum. Illud esto, quod quodocunque aliquid specierum Sacramentalium permanet, & pars altera v. g. conuersa est in carnem, si eiusdem hostiæ quantitas qualitasque permaneant, quamuis peregrina ad sacramentalem speciem accesserit, verè realiter personaliterque ibidem sub totâ hostiâ contineri & esse Christum. Vtrùm in hâc alterius partis mutatione vera sit caro, nec ne, non iam disputo, inferius hoc examinandum est; vtrâque parte hostiæ, verum dicimus Christi corpus, carnemque contineri. Nec hoc mirum; à Sacramento enim non abest Christi corpus aut caro, quamdiu integræ sunt Sacramentales species, vt hic sunt. Parum interest, an albæ sint, quemadmodum sunt panis; vel rubræ, quemadmodum sunt carnis. Quemadmodum nec à Sacramento discedit Christus, si albi panis species, casu alium aliquem colorem contrahant.

19. Nihilominus, si alterâ parte speciei panis saluâ, altera eiusdem hostiæ ita immutaretur, vt cum eâdem panis substantia non subsisteret, illæ quidem verè Christum containeret, at hæc nequaquam. Prius illud certum est propter veritatem Sacramenti, quæ non est sine Christi corpore; posterius certum est propter defectum Sacramenti; quia Christus verè realiterque præsens non est, nisi aut sub propriâ formâ, aut ratione Sacramenti, quorum vtrumque in alterâ illâ specie desideratur. Sed quid

G

si

si tota species Sacramenti sit murata, ita ut præter puerum, aut carnem, aut sanguinem videatur nihil? Quid inquam tum sentiendum?

20. Pro hoc sit quintum Assertum. Non personaliter atque realiter est Christus, neque in se Christus ( ut olim in terrâ, iam in cœlo ) videtur, quando hostiâ mutata conspicitur aut puer, aut species Christi Crucifixi. Docent hoc S. Thomas, 3. p. q. 76. a. 8. & communiter Theologi, in 4. d. 10. Rich. a. 5. q. 2. Durandus & Petrus Palud. ibid. Marsilius q. 7. a. 3. dub. 5. Antonin. 3. p. t. 13. cap. 6. & 14. Ægidius theorem. 33. atque Thomistæ omnes. Neque his desunt rationes, quoniam neque conueniens est & decens, ut ita adsit Christus, neque necessarium.

21. An forte decet & tangi, & contrectari, & indignè etiam tractari Christum ab hominibus: ut puer, vel Crucifixus tangi, contrectari, & indignè tractari potest, qui hic conspicitur? Nec est, quod quis Christum in Sacramento obiiciat, quasi & hic tangatur, contrectetur, indignè tractetur. Alia Christi in Sacramento, siue sub Sacramentalibus speciebus est ratio, alia hoc loco. Ibi quicquid accidit, ratione specierum accidit; hic ipsi Christo fieret, quidquid fieret.

22. Sic necessarium non est, ut hic sit Christus. Quorsum enim? An ne decipi dicantur homines, qui se Christum videre existimant, & tamen Christum non vident? At non decipiuntur. Licet enim in obiecto non sit id, quod apparet sensui: ea tamen mutatio, quæ fit in sensu, ad veritatem aliquam significandam ordinatur, quod in deceptione locum non habet. Quando inquit,

B. Aug.

B. Aug. lib. contra mendacium cap. 9. simulatio ad aliquid verum significandum refertur, non est mendacium. An fortè necessarium est ad commouendos animos fidelium? Nec hoc quidem. Quia si id tantùm, quod in sensibus fit, consideretur, eundem effectum parit in animo: siue obiectum sensibile tale sit in se, quale apparet, siue non. Quod si verò consideretur fides animæ, quæ his signis excitatur, hæc illâ præsentia sensibili carnis Christi non indiget; fides maximè est ex auditu.

23. Sequitur sextum Assertum. Non Christi est caro, non Christi sanguis, qui mutatis speciebus Sacramentalibus aliquando apparet, & videtur. Et hæc eorum, quorum quinto Asserto meminimus, est sententia. Et hic, quæ ibidem sunt allatæ, seruiunt rationes. Et quis credat, quando visus est sanguis ab hostiâ fluere, illum esse sanguinem Christi, & in terram vel linteum cadere? Rursus quando calix visus est repleri sanguine, ibi esse verum sanguinem Christi, extra corporis venas? & quando pars carnis conspicitur, illam esse carnem Christi? Denique diuturnitate temporis tabescit id, quod caro & sanguis videbatur: an verò hoc potest Christi carni, sanguinique tribui?

24. Duo forsitan his duobus, quinto & sexto Assertis obstant, verùmque hic in se Christum, veràmque in se Christi carnem, atque sanguinem esse conuincunt. Alterum est, quod hæc quæ visa est in Sacramento, diuina caro dicatur, diuinusque sanguis, qualis utique non nisi Christi Dei esse, diciue potest. Diuinam autem vocat Thomas Bozius, l. 14. de signis Ecclesiæ, cap. 7. illam, in-



quam, quæ Aufidi in Piceno conuersa fuit hostia, quam prunis impia mulier superposuit, de quâ nos, p. I. c. I. n. 15.

25. Alterum, quod hisce rebus diuinus honor sit exhibitus, hodiè que quibusdam locis exhibeatur. Et Thomas Cantipratensis de se testa, turc. 40. l. 2. miraculorum, quod postquam in hostiâ vidit (vt ipse loquitur,) faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam habentem coronam in capite, & duas guttas sanguinis, de fronte secundùm nares descendentes, mox genibus flexis cum lacrymis Christum adorârît.

26. Obstare quidem videntur hæc dictis; verumtamen non obstant. Bozius fortè, aliique, qui dictam historiam notârunt & referunt, dum diuinam carnem, diuinumque sanguinem vocant, illum qui prodigiosè in Sacramento est obseruatus: ad eorum sententiam accedunt, qui in hisce Apparitionibus verum in se Christum, veramque in se Christi carnem videri existimant, vt existimant Alensis atque Durandus. At contraria nobis cum pluribus placet sententia. Quanquam & dici posset, diuinam carnem sanguinemque dici species, quæ diuinam carnem, sanguinemque indicant & continent, quemadmodum has indicare, & continere mox dicetur.

27. Sic diuinus cultus his rebus exhibitus, non probat ipsa quæ visa sunt, vel Christum, vel Christi in se carnem, sanguinemque fuisse. Sacramenta corporis & sanguinis Domini, diuino cultu prosequimur; quæ tamen, si propriè loquaris, corpus & sanguis Domini non sunt, sed species corpus & sanguinem Domini continentes: in quibus ipsum Christum eo modo, quo alioquin ipsum in  
se

se veneramur, colimus & adoramus. De quò aliàs.

28. Sit hoc ergo constitutum, non esse Christi carnem, quæ prodigiosè conspicitur; nec esse sanguinem, qui sanguis esse videtur. Sed an saltem sub his carnis sanguinisque speciebus, Sacramentaliter est Christi caro, sanguisque, & esse dici potest?

29. Ad hoc fit septimum Assertum, quod sequitur. Quandoque in diuisis Apparitionibus, tanta in Sacramento facta mutatio non est in speciebus Sacramentalibus, quin sub iis substantia panis, vini que possit esse: semper Christi caro sanguisque Sacramentaliter, verè realiterque adest. Non hoc mirum, quoniam vt sæpe dictum, in Sacramento nunquam Christus esse desinit, quamdiu non desinunt esse species Sacramentales.

30. Sed quando tanta fit mutatio? Difficile inquit Suar. d. 55. f. 3. in, a. 8. q. 71. 3. p. S. Thomæ, id à nobis diiudicari potest. Nam licet nos per accidentia cognoscamus substantiam, & per accidentalem mutationem, substantialem transmutationem factam esse coniectemus: difficile tamen est, præsertim in his rebus inanimatis discernere, quando accidentalis transmutatio sit tanta, vt substantialem etiam habeat coniunctam.

31. Et cum accidentium quædam sint propria, quæ ex substantiis atque naturis quasi fluunt, necessariòque cum his coheret; quædam communia, quæ ad constitutas substantias accedunt, & non necessariò iisdem adsunt: ex illorum maximè mutatione, non horum, substantialis transmutatio debet æstimari.

32. Hinc octauum Assertum sequitur, Videlicet

vt plurimùm in his Apparitionibus, siue sub peregrinis hisce speciebus (carnis & sanguinis,) Christi carnem sanguinèmq; esse. Quid ita? quia accidentia, quæ mutari obseruantur, vt plurimùm sunt color atque figura. At hæc ex genere & classe communium sunt, quæ non necessariò postulant ipsæ substantiæ: non verò ex classe priorum, quorum mutatio substantiam desinere fecit.

33. Itaque hæ Apparitiones fini suo conueniunt. Nam vel fiunt ad confirmandam fidem præsentia corporis Christi, atque ita conueniens est, vt illa perduret; vel ad solatium alicuius iusti, quod solidum satis non esset, si verâ suâ præsentia Christus abesset, solùmque in imagine quasi tantùm adesset.

34. Atque huic sententiæ fauere videtur Ecclesiæ consuetudo, quæ hostias consecratas immutatas secundùm colorem carneum tantùm, aut sanguineum, diu cõseruat. Eas in honore habet, & vt verum Eucharistiæ Sacramentum, sub quo verè realitèrque Christi corpus est, veneratur & adorat.

35. Porro ex dictis iam finibus, qui Deo in Apparitionibus propositi videntur, atque item ex consuetudine cultus, quo Ecclesia has species, vt verum Sacramentum veneratur, facilè induceret, vt crederem nunquam, (aut certè rarissimè,) tantam fieri [in hostiis speciem carnis aut sanguinis præferentibus,] mutationem accidentium Sacramentalium, quin salua sub ipsis esse possit, panis vini-que substantia, ideoque verum Christi corpus.

36. De rarefactione fortassis possit esse quæstio. Quando quæ sub Sacramento fuit, quantitas ita rarefcere  
vide.

videtur in his Apparitionibus, vt substantia vini panisque, ex quibus Sacramentum confectum est, hâc non possit contineri. Verùm nec tum dicerem, Sacramentaliter carnem Christi vel sanguinem abesse. Potiùs tantam specierum Sacramentalium rarefactionem negarem fieri; aut dicerem ad priorem Sacramentalem quantitatem accedere externam, ex aere aut densiori aliquâ materiâ coactam; & sub priori quidem Christi esse carnem, vel sanguinem; sub illâ accessoriâ verò non item.

37. Possêt quoque esse quæstio de sanguine, qui aliquando ex hostiâ fluxit, & calicibus est exceptus. Verùm quoniam hic prorsus à speciebus Sacramentalibus hostiarum fuit diuisus, nec Christi potuit esse sanguis, nec Christi sanguinem continere. Ille verò, quo quædam hostiæ rubere sunt visæ, quoniam hostiarum quoddam fuit accidens, verum cum hostiis Christi corpus continet, quemadmodum dictum est supra.

38. Dictis addo, quod quodocunque peregrina species apparet, sub quâ Christi est caro, in illâ totum esse Christum, & in quâlibet ipsius parte, etiam minimâ, esse totum. Nec hoc mirum vlli videri debet. Cum enim hic alio modo non sit, quàm sub Sacramentalibus speciebus: vt sub his totus est sub quâcunque specie, & totus sub cuiuscunque speciei parte: ita erit totus sub peregrinâ specie, & totus sub quâcunque parte peregrinæ speciei. Non enim potest abesse Christus, vbi species sunt Sacramentales, quamuis etiam alteratæ; modò alteratio tanta facta non sit, quæ substantiam panis & vini non patiatur, vt dictum est. *Atque hætenus de præcipuâ quæstione,*

*Adidit*

*Additiones.*

*Etiã sub pueri specie, saluas manere species Sacramentales, & sub iis Christum, sentit S. Thomas.* Ob sensum & usum Ecclesie, miraculorum frequentiam, & quia nihil solidi in contrariũ affertur.

*De hostiis, qua solũ colorem car- neum & sanguineum praeferunt, ita certum est, vt sine temeritate negari non possit.* Hinc stabilitur veritas miraculosi Sacramenti Augustae, in Ecclesia S. Crucis.

**I.** **E** T si valde probabile est, quod Asserto dicitur tertio, cum saluis speciebus Sacramentalibus, infans vel caro, vel quid aliud videtur, Christum tali specie nõ contineri: eam maximè ob causam, quod nõ omnibus, sed vni tantum, aut paucis caro, aut puer apparere, soleat, S. Thomas tamen l. c. q. 76. a. 8. c. apertè sentit non solũ sub pueri specie saluas manere species Sacramentales: sed eiusmodi quoque puerili specie, speciebus Sacramentalibus veluti superinducta, Christum verè contineri. Dicendum est, ait, quod manentibus dimensionibus, quæ prius fuerant, fiat miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram, & colorem, & alia huiusmodi,) vt videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer. Quod idem ferè sentiunt interpretes, nominatim Sotus, 4. d. 10. a. 3.

**2.** Non loquitur tamen S. D. de specie pueri breui transeunte, sed quando iuxta secundam ipsius regulam, ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ita permanet. Quâ ratione, an vnquam Apparitio Sa-

Sacramentis in formâ pueri contigerit, ex historiis allatis non constat. Forma enim pueri, quam à Windekindo & alijs visam, p. i. c. i. retulimus, neque diu, neque pluribus visa fuit.

3. Si tamen aliqua eiusmodi etiamnum extat, aut aliquando diutius extitit, omnibusque intuentibus inuariata visa est: non potuit saluis speciebus Sacramentalibus aliter id fieri, quàm vt intra hostiæ, aut certè non multo maius spatium, forma pueri diuinitus exprimeretur, aut veluti depingeretur: quâ ratione aliæ Christi imagines sine coloribus, hostiis eo instrumento quo pinsuntur, imprimi solent. Nam si infans, vel puer insolitâ quantitate, densitate, membrorum, partiumque mensurâ diu, & omnibus appareret, corpus Christi vnâ cum speciebus Sacramentalibus abesse censerî meritò deberet, quia tanta quantitas, accidentiumque aliorum diuersitas substantiæ, panis & vini congruere non potest.

4. Cum verò sacræ hostiæ carneo solùm aut sanguineo colore diuinitus tinctæ, aut figurâ aliquâ vel imagine miraculosâ veluti depictæ apparent, nullo alterius mutationis, quæ substantiæ panis aut vini repugnet, argumento: tam certum est Christi corpus sub his speciebus Sacramentaliter contineri, vt quamdiu illæ inuariatæ apparent, id absque temeritate negari non possit. Confirmant id rationes, pro Asserto octauo allatæ.

5. Vfus præsertim & sensus Ecclesiæ, omniumque passim fidelium, quem in re tanti momenti tam grauitèr decipi, vt pro Sacramento corporis Christi illud, vnde Christus abest, pluribus etiam seculis ab omnibus adore-

H

tue,

tur, nō conuenit diuinæ bonitati ac sapientiæ, quâ Ecclesia regitur. *Confirmat hunc usum ac sensum, S. D. l. c. q. 70. a. 8. in argumento sed contra.* Tali Apparitione factâ, ait, eadem reuerentia exhibetur ei, quod apparet, quæ primò exhibebatur. Quod quidem non fieret, si non verè ibi esset Christus, cui reuerentiam latriæ exhibemus. Ergo etiam tali Apparitione factâ, Christus est sub hoc Sacramento. *Idem affirmat, in 4. d. 10. q. 2. a. 4. ubi ad secundam questionem, quæ erat de his Apparitionibus, respondet: Quod absque omni dubio dicendum est, illud quod ibi apparet, esse verum corpus Christi, aliàs non adoraretur.*

6. *Eundem sensum & usum fidelium, præter autorem huius tractatus, tradunt & amplectuntur præcipuè Doctores Hispani. Sic in linteolis Darocensibus (sive Dorchorensibus) de quibus supra p. 1. cap. 1. n. 4. in regno Aragonia, custodiri & adorari hostias cruentas, à trecentis annis, offerunt, Sot. d. 10. a. 8. Ledesma q. 17. a. 8. & alij apud Henríquez. l. 5. c. 38. à lit. A. qui idem affirmat de similibus miraculis Abula & Santarena, in Lusitaniâ existentibus. Ludouicus Granatensis lib. 2. in Symbolum fidei, p. 2. de nostra ætatis miraculis, refert de linteolis Darocensibus scriptum esse librum ad Carolum V. Imperatorem, & ad Imperatricem eius uxorem, qui ea viserunt, & Dominum qui in illis est, adorârunt. Sub finem vero addit: ut illius miraculi veritas comprobetur, nullis nisi oculis testibus opus esse, eorum scilicet, qui quotannis ea corporalia, exponi cernunt, vt in illis Deus, qui in illis est, adoretur.*

7. Qui Hispanorum sensus tanto maioris autoritatis esse debet, quanto seuerius & accuratius S. Inquisitio fidei ibi exercetur: quæ hostiarum adorationem & cultum

tum SS. Eucharistiæ debitum, nunquam improbavit: eorum potius sinistram opinionem damnatura, qui rem tam contestatam in dubium reuocarent.

8. Accedunt multis locis miracula & numero plurima, & magnitudine memorabilia, à Deo ad eiusmodi hostiarum cultum vel augendum, vel confirmandum edita. Certè ex iis, qui beneficium vel opem talibus locis postulant, eamque diuinitus accipiunt, nemo reperietur, quinon existimet se ab ipso Christo sub miraculosis speciebus latente, beneficium & postulasse, & accepisse. Sinere autem Deum tot mortales, in adorando Sacramento, quod Sacramentum non est, pluribus seculis decipi, eorumque errorem miraculis confirmare, diuinæ prouidentiae repugnat; quique id pertinacius affirmaret, omnem miraculorum energiam, in rebus fidei nostræ stabilendis, magnopere eneruaret.

9. Sed veritati miraculosi Sacramenti, sub speciebus carnem aut sanguinem præferentibus, non nemo ex recentioribus nebulas obiicit. *Inde in primis, quod si hæc Apparitiones sint perpetuæ, ob temporis disturritatem species Sacramentalis necessario desinant. Deinde, specierum talium corruptio non tam ex mutatione coloris & figura, quam saporis ac odoris discernitur: nec legitur ullà experientia deprehensum fuisse, post talem mutationem factam, permansisse saporis, aut odorem panis. Tertio, Sacramentum hoc est institutum, ut à fidelibus sumatur, atqui omnes horremus sumptionem sanguinis & carnis. Repugnat ergo fini Sacramenti, talis mutatio, si perpetua sit: adeoque non est probabile, Christum, ibi Sacramentaliter permanere.*



10. Denique *verosimilius est Ecclesiam non aliter exponere Sacramentum ita mutatum venerandum, quam exponit S. Crucem venerandam, ita ut exterior omnis cultus Sacramento ita mutato idem exhibeatur, qui solet vero Sacramento: & interior cultus, qui propriè est latria, transeat in Christum, qui ibi saltem est, ut in signo, atq; ita cum illà re aliquo modo unum quid componit. Quod vel inde patet, quia solemus Sacramentum ita mutatum, etiam post ducentos annos eodem modo adorare: cum tamen iam constet, ibi non remanere accidentia panis, ad eius conseruationem necessaria.*

11. Ità vnus & alter RR. editis in S. Thomam commentariis philosophantur, quibus ex veteribus suffragatur nemo, neque ipse quidem Durandus, quem producunt. Nam etsi is, d. 10. q. 4. doceat, *Substantiam panis secundum naturam, non posse manere sub accidentibus carnis vel pueri: ideoq; non videri, quod facta tali immutatione circa species Sacramenti, remaneat in eis corpus Christi, neq; adorandas esse tales species sub prædicta Apparitione tanquam verum corpus Christi, sed solum tanquam reliquias nobis miraculosè ostensas.* Mox tamen addit: *secus fore, si circa species fieret immutatio de calido in frigidum, vel de albo in nigrum: propter quam immutationem, substantia panis vel vini, non desineret esse ibi: quia propter consimilem mutationem non desineret ibi esse corpus Christi.* Sed nos consimilem solum mutationem coloris nimirum, aut figuræ, hic fieri ponimus; non ergo nobis repugnat Durandus. Nunc argumenta diluamus.

12. Ac primò quidem, verum non est solâ diuturnitate temporis, species panis necessariò desinere. Substan-

stantia enim panis, qualis cernitur in hostiis, est admodum tenuis, sicca, & talis temperiei, vt longissimo tempore perduret, imò & integris seculis. Probant id Sigilla ex eâdem quâ hostiæ conficiuntur materiâ, literis impressa, chartæ itidem inde conglutinatæ. Retinent Sigilla eandem speciem, post centenos licet annos; & cohærent similiter chartæ, nullo substantialis corruptionis indicio, in Sigillo, aut glutino apparente. Neque ergo miraculosas eiusmodi species, integris licet seculis, necesse est corrumpti: cum præsertim magnâ curâ assèruantur, & ab extrinsecis agentibus studiosè conseruantur, vti fieri solet circa eiusmodi hostias miraculosas, quas fideles instar veri Sacramenti adorant.

13. Discernuntur verò panis species, rectè visu & tactu, neque opus est gustu. Ex durabili enim panis naturâ, iudicandum est, accidentia eius conseruationi necessaria, perdurare: nisi alia præter colorem & figuram, mutationis argumenta appareant. Odor in hostiis, ob earum tenuitatem vix esse solet perceptibilis: vt adeò in scirpino nodum quærât isti, qui ad signum vocant vix perceptibile: & ad saporem, cuius gustus si necessarius foret, sapientia veterum, & sollicitudo fidelium, in re tanti momenti explorandâ, consilium heri natum, non expectâset.

14. Sed vanum quoque est, perpetuas eiusmodi Apparitiones specierum sanguinei & carnei coloris, repugnare fini Sacramenti. Non repugnat sumptioni, quod veritatem corporis Christi in Eucharistiâ confirmat: ideòque ad eandem maiori fide, pietatèque percipiendam, &

Christi Domini præsentiam ardentius venerandam; efficaciter impellit; licet ipsa hostia miraculosa non sumatur, sed ex usu Ecclesiæ afferri soleat, de quo tamen præceptum nullum extare asserit Suar. 3. p. tom. 3. d. 55. f. 4. in, l. c. S. Thom. Si ob horrorem sumptioni repugnantem Christus desinit esse sub eiusmodi speciebus, desinet itidem, si illæ aliquo casu veneno inficiantur, cum magis illud horreamus, quàm carnem & sanguinem. Hoc autem asserendum non est, ergo neque illud.

15. De mente Ecclesiæ exponentis Sacramentum ita mutatum venerandum, credimus S. Thomæ: non interpreti, qui hæc in re eum, quem interpretari deberet, aut non legit, aut sine causâ ab eo dissentit. S. Thomas II. cc. constanter asserit, & velut indubitatum supponit: tali Apparitione factâ, eandem reuerentiam exhiberi ei, quod apparet, quæ primò exhibebatur: talem nimirum, quæ vero Sacramento, non S. Cruci debetur. Idem confirmat usus & sensus Hispaniæ, eorûmque Doctorum, quos supra retulimus. n. 3. vt de aliis prouinciis & Doctoribus sileamus.

3. Sed vnde amabo, constat post ducentos aut trecentos annos, non remanere accidentia panis, ad eius conseruationem necessaria? An ex argumentis allatis? Sed hæc nihil veri, aut solidi continent, vt monstratum est. Illud ergo potius constat, cum corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus manere, quamdiu substantiæ panis & vini conseruandæ idonea sunt, Theologi Catholici consentiant, neque color carneus aut sanguineus dictis accidentibus repugnet: temere negari Christi sub iis Sacramen-

mentalem præsentiam, post quaecunque annorum spatium, modò nulla specierum mutatio substantiæ panis aduersa, obseruata fuerit.

17. Ex quibus denique colligimus, sub sacrâ hostiâ, quæ rubeâ carnis specie, Augustæ in templo S. Crucis Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini religiosè colitur: verè Christi corpus contineri, eidemque cultum latriæ SS. Sacramento debitum, negari non posse. Quod omnia argumenta hæcenus adducta, confirmant.

18. Sensus inquam & vsus fidelium populorum, qui annis amplius quadringentis, memoratam SS. hostiam pro verò Sacramento, coluerunt & adorârunt, hodiè que colunt & adorant: suffragantibus imò præeuntibus, non solum Augustanis, sed aliorum quoque locorum Episcopis, Archiepiscopis, Cardinalibus, Legatis Apostolicis, qui miraculosi huius Sacramenti (vti appellant,) cultum, concessis variis Indulgentiis amplificârunt, vt refert R. P. Anastasius Vochetius, parte 1. Thaumaturgi Eucharistici §. 11.

19. Accedit miraculorum hodiè que perdurans attestatio, quam ad nostra tempora perduxit idem R. Pater dignus S. P. Augustino filius, & miraculosi Sacramenti cultor eximius. Cuius libellum hæc de re si perlegas, deprehendes, quæ diuinitus beneficio SS. illius hostiæ acciderunt, non aliâ fide aut fiduciâ, quam in Christum Sacramentaliter hic præsentem, fuisse postulata & impetrata: Deumque hoc veluti testimonio dicti Sacramenti veritatem, fidelium mentibus altius infixisse. Quare temerarium foret existimare, fideles in hoc Sacramento ado-

ran.

adorando, pio licet errore duci: cum illud diuina prouidentia, illi ciuitati vbi hæresis SS. Sacramento infestissima, Symbolum suum aliquando editura erat, in fidelium solatium veræque fidei confirmationem, tanto ante, sapientissimè concesserit.

20. Nec quidquam aduersus id, quod diximus, afferri potest, quod non ex hisce responsis dilui queat. Nam si dixeris hostiæ incrementum, quo initio eousque intumuit, vt ceram cui inclusa erat, rumperet, teste R. P. Vochetio l. p. §. 5. maioris mutationis argumentum esse, quam substantia panis ferat: dicimus id prodigiosæ rarefactioni adscribendum, quæ tanta non fuit, vt saluâ substantiâ panis fieri non posset. Nam sæpe in ollis effervescentibus, videmus liquores impositos ita rarefieri, vt duplo, vel triplo maiorem locum obtineant, quàm antea: idque sine vllâ substantiali corruptione, vt rectè ille idem colligit, qui Apparitionis Sacramentalis perpetuitatem, supra impugnavit.

21. Confirmat deniq; miraculosi Sacramenti Augustani veritatem, autoritas Vlsalci Episcopi Augustani, qui illud post sufficientem vtique explorationem crystallo inclusum, publicæ venerationi exposuit, Deo factum multis miraculis comprobante, quæ refert in suo Thaumaturgo, R. P. Vochetius. Ex eo autem tempore, per trecentos amplius annos, nulla crystallo referatio, nulla specierum immutatio vnquam facta dignoscitur, quemadmodum publico instrumento, Año 1505. die 2. Decembris edito, confirmârunt Iudices Curia Augustanæ. Neque proximis hiscentum annis, vel minimum mutationis argumen-

gumentum deprehensum est. Quare merito Illustrissimus ac Reuerendissimus Princeps ac Dominus, Dominus Henricus, Dei gratiâ modernus Episcopus Augustanus, Anno 1615. die 2. Maij, ad dicti miraculosi Sacramenti cultum augendum, veteribus indulgentiis confirmatis, nouisque adiectis concessit, vt quotannis in festo illius, quod in diem vndecimum mensis Maij incidit: prædictum sanctissimum miraculosum Sacramentum (quod Sacramentum non esset, si Christus non amplius adesset) vnâ cum aliis SS. reliquiis, in eodem Monasterio religiosè asseruatis, Christiano ac deuoto populo publicè ostendatur, & ibidem honorificè exhibeatur. Quæ legere licebit apud R.P. Vochetium p. 1. §. 19. & 21.


C A P V T III.

*Quid sentiendum de formis pueri, infantis, Christi Crucifixi, eiusdem adiudicium venientis, faciei humana, Agni quoq; &c. quæ aliquando in Sacramento Eucharistie apparuerunt.*

<i>Nō verum viuusq; infans, aut puer</i>	<i>seruatus?</i>
<i>fuit, qui visus est,</i>	<i>Ei desinens puer, quo perueniret?</i>
<i>Quia miraculum postularet, quo</i>	<i>An etiam moreretur aliquando?</i>
<i>quid hic opus, &amp; qualis ipsi anima</i>	<i>Deniq; non necesse est, vt viuus</i>
<i>nima fuisset?</i>	<i>fuert puer: nec quidquam,</i>
<i>Cuius etiam fuisset religionis?</i>	<i>vt viuus sit, suadet.</i>
<i>Cur nullus unquam motus in eo ob-</i>	

I

1. Va-

1.  Arias multiplicésque formas in Sacramento esse visas, aut sub variis formis peregrinis Christum apparuisse, ostensum est cap. i. huius partis. Quidnam illæ fuerint, nunc explicandum, præsertim illæ, de quibus constat, ipsas reuera non Christum, Christi carnem, aut sanguinem fuisse. Et principio quidē hoc capite, quidnam illæ, in quibus humana species obseruata est; tum quid aliæ, quando vel caro, vel sanguis est obseruatus.

Humana autem species duplex potest distingui; Perfecta & Imperfecta. Imperfectam voco, quâ facies tantum Christi visa est, qualem viderunt Duacenses in S. Amandi sacrâ æde, de quâ p. i. c. i. n. 9. Perfectam, quâ visus homo quasi perfectus. Cuius etiam duplex modus; aliquando enim species crucifixi notata est, aliquando pueri, siue infantis. Quia verò vtrarumq; vna est ratio, vnam pueri, vel infantis formam suscipimus examinandam, ex quâ deinde de reliquis licebit iudicare.

2. Quamuis verò, certò definiri difficulter queat; vtrum aliquando Sacramentum, in hanc pueri aut infantis formam mutatum reuera sit, cum omnis hæc visio citra realem Sacramenti transmutationem fieri potuerit; quia tamen Dei potentiâ mutatio potuit accidisse, aut sub sensibili formâ puer apparuisse, factum esse credamus; atq; ita de hâc, nostrum examen instituiamus. Quærimus igitur, an verus viuusque infans, siue puer fuerit, qui in his Apparitionibus est exhibitus.

3. Et fuisse verum viuumque, ex duobus tribus coniectura accipitur. Primum quidem ex ipso nomine,  
siue

siue sermonis proprietate. Qui enim has Apparitiones notârunt & posteris tradiderunt, infantem vel puerum esse visum constanter asserunt ; quemadmodum & illi, quibus Apparitiones factæ. Quocirca cum impossibile nō sit, eundem verum viuūque infantem fuisse, non est quod ad speciem aut imaginem infantis, vel pueri confugiamus.

4. Deinde motus, qui in infante hoc, vel puero aliquando obseruatus est, verum viuūque fuisse haud obscurè indicat. Hoc enim viuētia depræhenduntur, & à non viuētibz separantur : quod illa se moueant, hæc mouere nequeant, quemadmodum 8. physic. docet Aristoteles. At constat puerum in Eucharistiâ obseruatum se mouisse, & motu magna singularis intelligentiæ signa dedisse. De puero à se viso, sic loquitur Windekindus Dux Saxonix, apud Alb. Krantziū, lib. 1. hist. Eccl. c. 9. Stupor mihi inquit, erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis, singuli pulchellum puerum in os susciperent : quem quibusdam ludibundum arridere, vltro properare : aliis verò abhorrentem vultum auertisse, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi.

5. Denique & impositum hominibus credi posset, si quem puerum aut infantem se videre existimârunt, verè puer aut infans non fuit. Cui verò hoc, nisi Deo, pro cuius voluntate hæ Apparitiones fiunt, tribui debet? An iustè autem ipsi tribuitur, quod cuiquam imponat ipse, qui nec potest falli, nec fallere?

6. Interim tamen, verus viuūque puer aut infans, nunquam fuit in hac Sacramentali sub pueri aut infantis



formâ Apparitione. Quanto enim hîc miraculo opus fuisset, si Sacramentales species in verum viuûmque puerum transfissent, aut verus viuûsque puer aliquando adfuisset? præsertim cum nihil eorum hîc locum habeat, quæ in communi infantum & puerorum productione necessariò obseruantur? scilicet, vt concipiantur, gestentur vtero in lucem producantur & prodeant &c. Mox perfectus absolutûsque infans conspicitur, qui non nisi diuinâ virtute productus esse credi potest.

7. Deinde animam rationis capacem oportet hîc semper habuerit: propterea quod viuere non potest, nec verus esse puer, qui non sit verus homo: homo autem esse nequeat, qui animâ sit destitutus particeps rationis. Et hîc rursus Dei omnipotentia requiritur, sine quâ anima esse, produci que nequit. Quorsum verò hîc illâ opus?

8. Et productus puer, siue infans cuiusnam religionis aut professionis esse dicetur? alicuius enim necesse est fuerit. Cuius verò fuerit? Profectò Christianæ nequirit esse, vt qui Baptismatis Sacramento, quod professionis Symbolum est, non initiatus fuit.

9. Præbet & summa quies in similibus infantibus obseruata, magnum argumentum, quod veri viuûque infantes non fuerint, qui visi. Neque enim de vlllo, quod sciam legitur, quod se mouerit, vllûmque vitæ indicium dederit. Vnus profertur à Windekindo visus. Vverum non hîc ad realem mutationem Sacramenti præsens fuit: & motus qui in ipso obseruatus est, nõ ipsi sed alteri tribui debet, quemadmodum in sequentibus est declarandum, vt taceam credi posse visionem hanc, in uidentis tantûm oculis fuisse.

10. Præ-

10. Præterea nec minori miraculo desisset hic infans, quàm fuisset productus. Mortuus enim nunquam legitur, sed mox post visionem disparuisse. Quapropter quemadmodum quasi ex nihilo esset productus, aut certè ex Sacramentalibus speciebus: ità rursus vel in species Sacramentales rediisset, aut desisset in nihil. Dicit hæc possunt; sed quis credat?

11. Et quando aliquando desit puer, animam necesse fuit à corpore separari. Separata verò, quò tandem profecta est? Ad infernum qui illam releget, nullum existimo futurum; vt porro ad cælum remittatur, fieri nequit saluis legibus Christi, cuius hæc oratio: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum. Ioan. 3.

12. Denique quid opus fuit, verum viuûmque esse in hac Apparitione puerum, aut infantem? Satisfit fini Apparitionis, quando etiam imago atque species pueri offertur. Quid? quod hæc meliùs, quàm viuo veròque puero, præsentia corporis Christi potuit demonstrari: quàm si verus aliquis homo fuisset exhibitus, qui Christus non esset, Christum tamen in Sacramento præsentem esse testaretur.

13. Verus ergo puer viuûsque infans non fuit, qui aliquando apparuit; non fuit verus viuûsque homo. Quemadmodum nec veri, viuûque fuerunt viri, qui Abrahamo Patriarchæ sunt visi, Genes. 18. quamuis viri existimarentur. Nec veri, viuûque sunt viri, quos Artifex effingit, Aristoteles, Plato, &c. quamuis verè dicatur esse Aristoteles, esse Plato, &c. Imagines fuerunt puerorum at-

que infantium, qui pueri atque infantes dicuntur.

14. Quocirca in similibus simulacris, non est quod anima quærat, aut sanguis, caro, vel ossa, vel aliud, quodcunque in humano corpore inuenitur. Quidquid humanum aut hominis hinc dici potest, & debet, id totum in externâ, quæ in oculis incurrit, formâ positum est.

15. Nec probant contrarium, quæ contra hanc Assertionem allata sunt argumenta. Puer, ut primò obiiciebatur, aut infans dicitur visus & exhibitus, non quia reuera puer is fuit infans: sed quia puer aut infans videbatur, & corpus sub pueri, atque infantis specie obiiciebatur. Sic vaccas se vidisse, & spicas dixit Pharaon, Genes. 41. quæ non vaccæ, & spicæ erant, sed vaccarum & spicarum imagines. Et pincerna eiusdem Pharaonis putauit, dixitque se vidisse vites, quæ vitium erant imagines, Genes. 40. Nō fuit vxor Loth, quæ statua salis videbatur, & tamen vxor Loth dicebatur, quia vxoris imaginem referebat, Gen. 19. Cherubim dicebantur, qui super propitiatorium erant, qui tamen non Cherubim erant, sed Cherubim imagines.

16. Sic motus & gestus, amicus & tristis vultus, quæ Windekindus notauit in puero, qui tempore Caroli Magni Sacramentum percepturis porrigebatur à Sacerdote, nihil probat. Primùm quidem, quoniam omnis a Windekindo percepta visio, in solo visus organo perfecta est, aut certè non cum immutatione specierum Sacramentalium: neque enim præter V Windekindum vllus infantem conspexit. Præterea quamuis gestus & motus in puero fuissent, nondum tamen arguerent, viuum verumque puerum. Quot motus, & quot gestus in corporibus à spiri-

riti-

ritibus nunc bonis, nunc malis, assumptis, in vtróque testamento obseruantur? an idcirco quis viua hæc corpora dicet? Itaque quemadmodum in assumptis illis corporibus, motus aliunde est allatus, & sui principium non intrinsecum habuit, sed extrinsecum, ita omnis in his infantibus motus aliunde est: ab Angelis scilicet, quorum vt postea dicemus, in his Apparitionibus non est parua occupatio.

17. Denique, quod tertium argumentum arguebat, nec hæc ratione hominibus impositum esse dici debet, quamuis verus puer non fuerit, qui verus puer visus est. Voluit Deus externo insolitóque argumento, præsentia suæ in Sacramento dare testimonium; quid interest, quomodo det? viuóne, an non viuó, veróne, an non vero puero? Quemadmodum præsentia suæ vera externaque signa, voluit esse etiam puras species Sacramentales, quæ tamen in significando minorem hinc proportionem habent: ita potuit has, de quibus nostra disputatio est, formas atque imagines voluisse.

18. Ità de infante, siue puero sit definitum. De Crucifixi, atque Agni imagine idem esto iudicium. Nullus verus fuit Crucifixus homo; imaginibus perfecta sunt omnia, quæ aut in Sacramentalibus speciebus, aut circa species Sacramentales, in corpore speciebus Sacramentalibus adiuncto, aut in solis oculis & phantasiâ intuentium erant.

19. Idem volumus dictum de specie faciei visæ, tum alibi, tum Duaci; quamuis posterius, cuius conspectus factus est Thomæ Cantipratensi, crebra mutatio facile  
per-

persuaderet, nullam in Eucharisticis speciebus mutationem factam esse, & tantum apparentem fuisse visionem. Quam enim hostiam sub specie venustissimi puelli, conspiciebat promiscuus populus, illam sub solâ albissimi panis specie, videbat Cantipratensis; & quam mox vidit referentem caput coronatum atque cruentatum, eandem factâ adoratione, rursus vidit accepisse formam hominis, super omnem effigiem honoratam; sed & eandem eodem tempore, alij viderunt referre Christum in cruce, extensum, alij Christum ad iudicium venientem, alij sub formâ pueri, &c.

## C A P V T IV.

*Quid sentiendum de carne visâ in Eucharistiâ, item de sanguine, qui aliquando fluxit de hostiâ, aliquando observatus in calice?*

*Non vera caro fuit, aut verus sanguis, qui aliquando apparuit. Longo, non sine miraculo conservatur. Neq; enim alicuius bruti fuit; Neq; hominis; cuius enim? Et si mansit cum speciebus Sacramentalibus, facta ne fuit penetratio dimensionum? Et quando desinit, in quid desinit?*

*Et pro brevi tempore opus non est; Finis etiam hic propositus non postulat veram carnem, verumque sanguinem, Deniq; nihil potest afferi pro verâ carne.*

I.



Acilius creditur verum sanguinem, veramq; carnem fuisse in Eucharistiæ Sacramento aliquando, quam verum puerum, verum agnum, verum crucifixum, veram faciem, quæ

quæ præcedenti cap. in his Apparitionibus exclusimus. Nam & hæc facilius producuntur, & quæ illic absurda accidere æstimantur, si illa fiant, hic locum non habent.

2. Historiæ quoque, quæ prodigiosæ huius carnis meminerunt, hoc confirmant. Amphilocheus in vitâ Basilij Magni, postquam retulit Hæbreum vidisse per manus Basilij infantem distribui, addit, quod idem cum aliis Sacramenta percepturus accesserit altare: acceperitque quemadmodum ipse loquitur, hostiam veram carnem factam. Sic in narratione, quam Ioannes Diaconus habet, de muliere, cui Sacramentum sub specie panis voluit porrigere B. Gregorius, dicitur, quod hostia post communes præsentis populi preces, sit conuersa in carnem: carnemque crediderint, & B. Gregorius, & præsens populus, & incredula mulier: rursumque muliere iam in fide confirmatâ, post repetitas preces redierit ad pristinam panis figuram. Sic apertissimè dicitur conuersa in carnem hostia, cuius meminit Thomas Bozius, & hodie asseruatur Aufidii in Piceno, de quâ p. 1. c. 1. n. 5.

3. Similiter pro vero sanguine, vt omittam alias, est res gesta, quam in Urbano IV. recenset Platina, quâ dicitur viuum sanguinem fluxisse Vulfiniis in ditione Vrbeuetanâ, ex hostiâ, sub quâ vtrum Christi corpus contineretur, dubitabat Sacerdos. An verò viuus sanguis, non est verus sanguis? Et si de hoc dubitatur, qui ex hostia, specièque panis fluxit: an de illo potest esse dubium, qui fluxit ex carne, quæ vt Bozius loquitur, apertissimè caro existimabatur.

4. Sed quemadmodum verus infans, aut puer non  
K
fuit,

fuit, qui aliquando puer aut infans apparuit in Sacramento: ita neque vera caro fuit, verusque sanguis, qui sanguis aliquando, caroque apparuit. Qualis enim sanguis fuit, & qualis caro, si vera fuit? Vt bruti alicuius animantis fuerit non conuenit, nec quis dixerit. Vt humana caro fuerit, ratio non permittit.

5. Nam si humana, vnde petita? an forte ex alicuius hominis corpore decerpta est? an non hoc, sed à Deo, vbi apparuit, ex nihilo facta? Prius nullus concesserit, quia nullus sibi detractam carnem esse vnquam notauit. Posterius sine miraculo non contingit, quo profectò in his prodigiosis Apparitionibus non est opus.

6. Deinde, vel cum hac carne atque sanguine, permanserunt Sacramentales species; vel iis recedentibus substituta sunt caro atque sanguis. Prius nequit esse sine dimensionum pénétratione: quæ rursus miraculum est, & omnipotentiam Dei postulat. Posterius pietati repugnat Christi fidelium, quæ vt plurimum hanc carnem, atque hunc sanguinem, tanquam verum Sacramentum, veneratur & colit.

7. Rursus desinunt aliquando hæc quæ videntur, caro & sanguis. Quomodo verò? An ita, vt in Christi conuertantur carnem & sanguinem? An quia in nihilum rediguntur? In nihilum sine nouo miraculo non rediguntur. Vt in Christi conuertantur carnem & sanguinem, fieri nequit; quia quod in Christi conuertatur carnem, & sanguinem, est nihil præter panis vini que substantiam.

8. Præterea vel longo tempore vult Deus carnem, hanc, sanguinemque inter homines conseruari, vt conser-

fer-

seruata alicubi sunt ad annos ter centum & plures, quemadmodum Thomas Bozius testatur, l. 7. c. 14. de notis Ecclesiæ. Vel vult breui aliquo tempore apparere. Hic non opus est ullâ in obiecto, siue sacramento mutatione. Atque vt longo tempore, trecentis & pluribus annis, vera caro sanguisque conseruentur integra, rursus sine perpetuo quasi miraculo nequit fieri.

9. Finis etiam, qui Deo in his Apparitionibus est propositus, non necessariò veram carnem, verumque sanguinem postulat; specie enim carnis sanguinisque exhibitâ haberi potest. Et is præcipuè, vt præsens realiter, atque substantialiter in Sacramento cognoscatur esse Christus; quod tam cognoscitur specie carnis quàm verâ carne: specie sanguinis, quàm vero sanguine.

10. Itaque fuit species carnis hîc atque sanguinis, non vera caro, verusque sanguis; quemadmodum species fuit infantis atque pueri, non verus infans aut puer, qui aliquando visus est. Et sicut ibi, quamuis tantum species, siue imago fuerit infantis vel pueri, verè tamen dicitur fuisse, & visus infans: ita hîc, quamuis species & imago tantum fuerit carnis & sanguinis, verè tamen dicetur visa caro, visus sanguis. Nouum non est, quod imagines rerum, rerum ipsarum nomina sortiantur, quod præcedenti cap. monstratum est.

11. Nec contrarium debent suadere, quæ pro contrariâ sententiâ allata sunt argumenta; facilis omnium est solutio. Ad illud, quod ex Amphilochio affertur de Hebræo, qui hostiam dicitur accepisse veram carnem factam, respondetur non illam huius orationis esse sententiam, quod sub



verâ carne Sacramentum acceperit; certè ab hâc sumptione abhorruisset homo infidelis. Dicere voluit Amphilochius, veram ipsum carnem Christi, in Sacramento accepisse: quia vera caro fuit, quæ sub panis specie latebat.

12. Hostia, quam B. Gregorius mulieri obtulit, in carnem dicitur conuersa idcirco, quia quæ antea speciem panis referebat, post orationem communem retulit carnis speciem. Verùm quemadmodû, cum speciem panis referret, non panis erat: itâ cum referret speciem carnis, non caro erat. Vtrobîq; autè veram Christi carnem continebat.

13. Caro, quæ Aufidi in Piceno asseruatur teste Bozio, caro non est. Hostia est consecrata, carnis formam olim, cum prunis imponeretur, recipiens. Hæc si hodie pristinam formam retinet, quod Dei virtute fieri posse nemo dubitat, verum Christi corpus, vt quæuis consecrata hostia, continet. Si illa corrupta est, quod admodum est probabile [*non enim solum colorem carnis, sed reliquas quoque qualitates induit*] Christi corpus non continet, quamuis eidem suus sit deferendus honor, de quo postea. Idem dixerim de sanguine, qui ex eâdem hostiâ dicitur exceptus, quod Christi sanguinem ille non contineret, ab hostiâ iam diuisus.

14. Ille verò, quem Platina in Urbano IV. dixit fluxisse viuum ex hostiâ, viuus verusque sanguis, qualis aut in venis est, aut ex viuo fluit corpore, non fuit. Viuum ergo fortassis dixerit, vel ex eorum sententiâ, qui Christi verum naturalemque sanguinem hunc volunt fuisse, quam sententiam non probamus. Vel quia viuum sanguinem prorsus repræsentauit; quomodo viuum alicuius illam

illam imaginem dicimus, quæ ad viuum, seu perfectissimè aliquem exprimit.

15. Sic qui ex carne fluxit, & non vt videbatur, ex hostiâ, viuus non fuit aut verus sanguis, de quo supra n. 3. huius cap. quemadmodum neque vera, viuâque caro, ex quâ fluxit. Sanguis carni respondebat. Et sicut quid simile erat carni, quod sanguinem sudabat: ita quid simile sanguini, sanguineus scilicet liquor, quod ex fictâ carne, profluebat.

16. Dictis hoc addimus; quod vt verus sanguis non fuit, qui ex consecratis hostiis fluxit: itâ neque veri sanguinis fuerunt vestigia, rubentes maculæ in aliquibus hostiis depræhensæ. Quales sunt, quæ religiosè Bruxellis afferuantur; illa quoque, quam impius Paulus Form, sacrilego vendidit Iudæo, de quâ p. 1. c. 1. n. 10.

## CAPVT V.

*Quodnam sit, vel fuerit subiectum formarum  
& specierum peregrinarum, quæ in Appari-  
tionibus Sacramentalibus sunt ob-  
seruata?*

*Quandôq; sunt hæ forma in solo vi-  
sus organo;*

*Quandôq; in solo medio;*

*Quandôq; in corpore Sacramentum  
circumstante.*

*Nunquam sunt in Christi corpore,*

*aut sanguine;*

*Non enim hoc illarum est capax.*

*In his enim speciebus sunt, quæ*

*ad formas concurrunt;*

*Hæ item species sunt hic muta-  
tionis subiectum.*

K 3


Hæ

*Ha apparent formis peregrinis ces-  
santibus.*

*Quantitas propriè est formarum*

*harum subiectum.*

*Aliquando formæ sunt extra spe-  
cies Sacramentales.*

I.  Mnem formam atque speciem, in aliquo subiecto esse oportere, tam est certum, quàm omne accidens aliquod sibi subiectum (materiam vocant in quâ) vendicare, in quo subsistat. Accidentia enim sunt formæ atque species. Et quemadmodum subiectorum est accidentia suscipere, atque sustentare, ita formarum & specierum in subiectis subsistere. Itaque cum in Accidentium genere sint, quæ in Sacramento Eucharistiæ peregrinæ formæ, & species aliquando obseruantur: aliquod necesse est & illæ habeant subiectum, cui insint, & inhæreant. Quod vero illud? Hoc præsentè capite inquirendum, & definiendum est.

2. Necesse porro est formas has, vel in Christi esse corpore atque sanguine; vel in speciebus Sacramentalibus panis & vini; vel in aere, alioue corpore Sacramentum circumstante; vel in medio, quod intercedit inter visum atque Sacramentum; vel in ipso visus, quo species percipiuntur, organo.

3. Necesse est inquam, in horum aliquo existere. Quid ita? quia cum ipsa visione necesse est, semper horum aliqua concurrere, atque vt sine omnibus his fiat, prorsus impossibile. Siquidem in visione omni, organi siue potentia est munus, siue officium. Est plerumque obiectum externum, quod impressionem in potentiam facit.

cit. Et vt plurimum medium, per quod vel in potentiam agit obiectum; vel in quo species rei, quæ videri existimatur, effingitur. Cum igitur hæc tam multa, variâque concurrant, in horum aliquo nostræ formæ constituentur. Vbi verò? Respondemus sequentibus.

4. Sunt quandoque in solo visus organo, ita vt rerum, quæ videri & apparere creduntur, prorsus sit nihil extra oculum, aut certè extra hominem. Tales non temere creduntur in Apparitione fuisse, quæ Duci Saxonix VVindekindo concessa est, quâ infantem ipse solus in Sacramenti distributione notauit. In illâ item, quam habuit Thomas Cantipratensis, quâ ipsi Christus visus vir apparuit, qui aliis pueri formam referebat.

5. Quandoque in solo medio videntur habuisse sedem, atque ibidem productæ. Primum hoc non esse impossibile nôrunt docti. Deinde aliquando ibidem productas esse, si non multis, à nobis p. I. c. I. allatis exemplis, certè aliquibus persuaderi potest.

6. Quandoque etiam in corpore Sacramentum circumstante, verisimile est substitisse. Hoc accidisse existimamus in illâ Apparitione, quæ p. I. c. I. n. 20. affertur ex Laur. Surio, quâ S. Maria Oegniacensis dicitur vidisse Christum, sub formâ pueri immenso lumine coruscantem: circa ædiculam, in quâ SS. Eucharistiæ Sacramentum pro Catholicorum consuetudine, asseruabatur.

7. Cæterum quoniam hæc iam recensitæ Apparitiones omnes, sine reali Sacramenti immutatione perfectæ sunt, ideòque facilis ad propositam quæstionem fuit responsio: restat difficilior quæstio de iis, in quibus realis

Sa-

Sacramenti facta est mutatio, qualem aliquando accidisse, nemini dubium esse potest. Itaque respondendum, adhuc est, ubi nam resideant, & quæ subiecta habeant, species atque formæ, quæ in Apparitionibus conspiciuntur: in quibus ipsum Sacramentum quodammodo immutatur, & alteratur.

8. His verò necesse est, attribuamus subiectum alterum ex duobus. Videlicet aut Christi corpus, sanguinèmq; aut species Sacramentales, Christi corpus, sanguinèmq; continentis. Neque enim hìc tertium assignare possumus. Duabus rebus, inquit Cyprianus de Coenâ Domini, atque August. de Catechiz. rudibus. c. 6. constat Eucharistia, terrestris atque cœlesti. Illa sunt species visibiles: hæc corpus & sanguis Domini. In vtro horum dictas species constituemus? Ad hoc duo sint dicta.

9. Primum est, Species atque Figuras has, non in Christi corpore, atque sanguine subsistere; siue quod idem est, corpus Christi, Christi que sanguinem, ipsarum subiectum non esse. Quemadmodum mortuus semel, amplius non moritur: ita amplius iam mutationibus, alterationibusue, ratione vllarum specierum non est subiectus.

10. Et profectò negari non possèt, quin rursus mori, atque vt ita dicam, desinere Christus possit aliquando, si has ipsi figuras tribueremus. Quomodo vero? Quia substantias rerum tum desinere certum est, cum ipsarum quantitas, & quæ cum quantitate coniunctæ sunt qualitates, tolluntur. Quis verò fieri posse negabit, quin  
formæ

formæ hæ, v. g. carnis, pueri, &c. in quas Eucharistia est conuersa, igne absumi, & in cineres redigi valeant?

11. Præterea ab his formis figurisque denominationem Christus acciperet; diceretur rotundus à figurâ Sacramentali rotundâ; quadratus à quadratâ, albus ab albâ; ruber à rubrâ; niger à nigrâ. Quàm verò hæc sunt indigna?

12. Et calefieri potest carnis species; & frigore cōstringi species sanguinis; rursus potest diuidi, in partes secari, alia his similia omitto. Et hæc omnia Christo conuenient? nunc calefiet? nunc frigus patietur? nunc diuidetur? Certè conuenire debent, si quæ apparent peregrinæ formæ, extra Christi carnem, sanguinèque non existunt.

13. Hinc iam Alterum dictorum sequitur. Videlicet formas has, quæ obseruatæ sunt, in speciebus Sacramentalibus residere & fundari. Res est clara. Cum enim necesse sit, aut in Christi esse corpore sanguinèque, aut in hisce Sacramentalibus speciebus: & Christi corpus atque sanguis ipsarum capax non sit, oportet in Sacramentalibus speciebus easdem constituamus.

14. Præterea peregrinæ formæ in Sacramentalibus Apparitionibus, accidunt vel ratione inusitati coloris, quando v. g. hostia alba rubræ carnis speciem accipit; vel figuræ nouæ, vt si puelluli figuram reddat; vel rarefactionis & condensationis, vt dum maior, quæ ante minor, apparet, & contrà. Athæc omnia ad species Sacramentales pertinent. Omnes igitur formæ speciebus hærebunt Sacramentalibus.

L

15. Quod

15. Quod dicimus, hâc ratione clarius docemus. In omni mutatione idem est subiectum eius formæ, quæ abiicitur, atque eius, quæ de nouo acquiritur, (Philosophi vocant terminum à quo, & ad quem.) At verò subiectum formæ, quæ abiicitur, species sunt Sacramentales, non Christi corpus aut sanguis: subiectum igitur formæ, quæ acquiritur, etiam species erunt Sacramentales. Hic quia certa omnia, probandum est nihil.

16. Est quoque pro speciebus Sacramentalibus hoc argumentum; quod quando peregrinæ aliquando desierunt, rursus apparuerint Sacramentales. Quocirca quemadmodum aqua frigida, verè cognoscitur subiectū esse caloris accidentis, quando post calorem prius frigus reuertitur: ità verè cognoscuntur esse subiectū peregrinarum specierum, species Sacramentales, quando peregrinis recedentibus redeunt Sacramentales, vt redierunt, persape.

17. Interim tamen, non omnes Sacramentales species peregrinarum subiectum sunt. Ex omnibus vna tantum est quantitas; neque enim subiecta accidentium alia sunt præter substantiam & quantitatem, quæ subiectū Quo in scholis dicitur, vt substantia subiectū Quod. Quocirca cum substantia corporis Christi, harum formarum, subiectum esse nequeat, vt dictum, & præter hanc in Sacramento nulla sit: si aliquod subiectum formæ hæ habent, vt habent, oportet habeant quantitatem.

18. Atque ità profectò res se habet. Nam & illa subiectum est albedinis, atque figuræ hostiæ, sub quâ est Christi caro: specierum item illarum vini, sub quibus  
est

est Christi sanguis; quocirca & peregrinarum erit, carnis, sanguinisque specierum: cum contrariorum quæ mutatione deponuntur & acquiruntur, idem semper sit subiectum.

19. Ergo, quæ quantitas prius sub candidâ panis specie, Christi continebat corpus, eadem omnino numero quantitas, post illius speciei immutationem idem Christi corpus continet, sub specie carnis rubræ: si tamen substantia panis in illâ potest conseruari, vt dictum est. Et quantitas, quæ sub specie vini prius continebat Christi sanguinem, eadem post priori specie depositâ, sub specie sanguinis verum continet Christi sanguinem. In vtrâque igitur mutatione idem manet subiectum, vna eademque quantitas.

20. Hinc iam perspicuum est, nihil eorum per se Christi corpori accidere, quæ peregrinis hisce formis accidere possunt. Non diuidi Christi corpus, si quæ videtur, caro diuidatur; non in cineres redigi; non calefieri, aut constringi frigore, si calefiat, aut frigore constringatur. Quemadmodum enim formæ hæ peregrinæ, non in Christi sunt corpore, sed in quantitate, à Christi corpore absolutâ, & quasi per se subsistente: ita quæcunque his formis accidunt, quantitati absolutæ accidunt, non Christo.

21. Verùm dubium est, sempérne peregrinæ hæ formæ carnis, sanguinis, infantis &c. in speciebus sint Sacramentalibus? Non enim semper esse est verisimile. Quid enim si minima aliqua hostia, formam accipiat Christi, perfectum virum referentis? Quid si etiam sanguis




ab hostiâ defluat, alióque vase excipiat, quàm hostia cō-  
feruetur. ?

22. Quocirca duobus modis contingere dicemus, ut peregrinæ formæ, extra Sacramentales sint species, siue quantitatem. Vnus est, si quantitas Sacramentalium peregrinis non sufficiat, quemadmodum in priori exemplo accideret. Alter est, si à Sacramentalibus prorsus sint separata, ut accideret in posteriori.

23. Magna verò inter duos hos modos est differentia. Nam si peregrinæ species maiorem quantitatem habeant, quàm contulerunt Sacramentales: sub illâ, quam contulerunt species Sacramentales, verum Christi corpus continebitur, si tamen substantia panis sub iis salua esse possit; at sub accessoriâ nequaquam. At vbi peregrinæ species à Sacramentalibus prorsus sunt separata, ut accidit in hostiis quæ sanguine fluxerunt, qui calicibus fuit exceptus, nihil ibi est Christi aut corporis, & sanguinis, ut ex dictis colligitur.

## P A R S III.

De causis Efficientibus Apparitionum Sacramentalium Christi, sub peregrinâ specie.

 *Teritiâ parte huius tractatus, Causa Efficiens potissimum huius Sacramentalis sub peregrinâ specie Apparitionis, inuestiganda est. Hac autem vel physica est, vel moralis. Illa propriè habet rationem Efficientis; hac quasi Efficientis, & hinc potest dici voluntas hominum.*

num, qua Apparitioni occasionem præbuit. Quia verò Efficiens, in agendo certum in subiectâ materiâ modum seruat: prius qualis hic, in hac Apparitione sit, aperiendum est. Tribus ergo quasi membris, tertia huius tractatus pars constabit. A modo faciamus initium.

## CAPVT I.

De modis, quibus Sacramentales Apparitiones, sub peregrinis formis accidunt.

<i>Accidunt varijs modis; scilicet</i>	<i>Hi modi accidunt in Apparitionibus, quæ vel sunt totæ in ipsis speciebus Sacramentalibus;</i>
<i>Aut nouæ speciei productione tantum;</i>	<i>Vel totæ extra ipsas;</i>
<i>Aut accessione nouæ quantitatis ad Sacramentalem;</i>	<i>Vel partim extra, partim in speciebus.</i>
<i>Aut immutatione quantitatis Sacramentalis;</i>	<i>Verumtamen non omnes in omnibus Apparitionibus locum habent, &amp;c.</i>
<i>Aut alteratione quantitatum in speciebus Sacramentalibus;</i>	

I. **A**pparitiones hæ, quemadmodum ex superioribus colligitur, triplices possunt distingui. Nunc totæ sunt in ipsis speciebus Sacramentalibus; nunc totæ extra species Sacramentales; nunc partim extra ipsas, partim in ipsis. Primi exemplum præbet hostia cõuersa in carnem, seruatâ priori suâ quantitate. Secundi Apparitio infantis, v. g. in solo visus organo, existens. Tertij, hostia mutata in talem viri formam, cui hostiæ quantitas non fuit sufficiens.

L 3

2. Qua-

2. Qualescunque verò sint, necesse est fiant, aut nouæ tantum speciei productione; aut accessione noue quantitatis ad Sacramentalem; aut quantitatis Sacramentalis immutatione; aut alteratione qualitatuum in speciebus Sacramentalibus.

3. Noua species producitur, cum Apparitio nullam extra sensum sedem habet, aut certè absq; Sacramenti fit mutatione. Noua quantitas accedit, cum Sacramentalis sufficiens non est ad figuram, quâ Apparitio in oculos incurrit. Sacramentalis quantitatis fit immutatio, quando v.g. rotunda hostiæ figura, accipit quadratam. Alteratio fit qualitatuum, quando sanguinis speciem, accipiunt species vini. His modis omnis Apparitio hæc accidit, in tribus iam recensitis Apparitionibus. Verumtamen non omnes hi modi in omni Apparitione locum habent; quidam in hoc, alij in alio genere habent; & quoddam genus plures admittit, quoddam pauciores. Quod quâ ratione verum sit, rectèque dicatur, clarum erit, si tria genera Apparitionum iustrauerimus.

4. Primæ ergo illæ, quæ totæ sunt in speciebus Sacramentalibus, tribus modis accidunt. Nam vel aliam, formam, figuramque Sacramenta accipiunt sub eâdem quantitate; vel alias induunt qualitates sub eâdem quantitate; vel qualitatis simul cum quantitate fit mutatio. Primum contingit, si hostia mutetur in candidum puellulum, aut species vini rubri in sanguinem. Alterum, si species vini albi in sanguinem. Tertium, si Crucifixi sanguine cruenti, hostia accipiat figuram.

5. Secundæ Apparitiones, nouæ speciei fiunt produ-

ductione tantum, absque vlla specierum Sacramentalium aut immutatione, aut accessione. Neque enim has oportet immutari, aut accessione externæ quantitatis crescere: cum quod videtur atque apparet, non in Sacramento, sed extra existat.

6. Noua verò, quæ hic producitur species, tripliciter se habet. Aut enim in solo est visus organo; aut in medio aere, eoque coacto formatur; aut circa ipsum Sacramentum in alio corpore effingitur, ita vt à Sacramento separata non videatur esse. In primo illo modo visio nulli contingit, nisi in cuius oculo est species; in secundo potest contingere pluribus, quorum eodem modo visus se habet ad medium; in tertio omnibus, qui in Sacramentum, visum oculosque dirigunt.

7. Tertiæ Apparitiones pluribus modis accidunt. Nam cum hæ partim consistant in speciebus Sacramentalibus, partim extra has species: principio modi, qui locum habent in primo illo genere, vbi Apparitio omnis in Sacramentalibus est speciebus, etiam hic possunt reperiri. Itaque & hic aliam formam figuramque, Sacramenta, possunt accipere, & alias item induere qualitates.

8. Deinde noua quantitatis hic fit accessio; quam necesse est fieri, si sub priori Sacramenti quantitate, species quæ exhibetur, non possit subsistere. Quod quamuis rarius accidit, vt credimus: accidere tamen posse non minus est probabile, quam euenire quascunque alias in hoc genere Apparitiones.

9. Alia verò conditio est Sacramentalis quantitatis; alia eius, quæ ad Sacramentalem accedit, externæ. Sacra-  
men,

mentalis est sine subiecto, & veluti substantia per se existit. Externa hæc, & accessoria est in subiecto: nec suam, in quâ residet, substantiam relinquit.

10. Itaque fit, vt duplex hic sit modus quantitatis, sub quâ Christus apparere dicitur. Alter est Sacramentalis, alter naturalis. Vterque sibi manet; neuter alteri permiscetur; nisi fortè Sacramentales species in tantum accideret corrumpi, vt panis vini que substantiæ sub iis consistere nequirent. Quod si fiat, vna ratio erit quantitatis vtriusque, non duplex. Hæc de modo, quo Apparitiones hæc fiunt breuiter; sequitur de Efficiente causâ.

## CAPVT II.

*Quæ sit causa Efficiens, Apparitionis Christi Sacramentalis sub peregrinis speciebus, & quâ ratione formæ fiant.*

*Possunt omnes à Deo esse & fieri.*

*Quid enim non potest Deus?*

*Possunt & Angelorum operâ fieri.*

*Quia quæ hic requiruntur, Angeli possunt prestare.*

*Ab Angelis quoque ipse fiunt.*

*Ita postulat ratio diuine providentia.*

*Tribus modis Angelorum opera per-*

*ficiuntur.*


*Illusione sensuum.*

*Quando in Sacramento nulla accidit mutatio;*

*Motu locali;*

*Atque applicatione actiuorum ad passiuam,*

*Quando fit mutatio in Sacramento.*

1.  Apparitionis nomine, quando Efficientem eius causam indagamus, non tam ipsam Apparitionem formaliter, vt visio quædam

dam est, intelligimus: quàm res, siue figuras in hâc Apparitione apparentes. Nec enim prius oportet inquirere, cum difficultatem nullam habeat: propterea quod Apparitio eâ ratione sit actus videntis, adeoque vitalis, ut dicimus; ideoque principium, siue causam Efficientem habeat visum ipsum, qui visionem producit, & in se suscipit.

2. Res verò siue species quæ videntur, alias habent causas Efficientes. Et merito, quia obiecta sunt, quæ visu percipiuntur; quocirca necesse est, ut quemadmodum à visu illæ distinguuntur, ita alias à visu habeant causas, à quibus producuntur, & efficiuntur.

3. Omnia autem, quæ in his Apparitionibus sunt, & inueniuntur, vel propria sunt visus obiecta; vel visui cum aliis quibusdam sensibus sunt communia. Propria sunt species colorum, qui percipiuntur, albedo videlicet, rubedo &c. Communia figuræ, siue modi quantitatis, ut forma pueri, infantis, &c.

4. Notandum est illud, duobus modis, res has in Apparitionibus huiusmodi percipi. Vel reuera, siue realiter, quando extra sensus ipsæ existunt, & in sensus quasi impressionem quandam faciunt. Vel secundum apparentiam tantum, quando quæ visu percipi existimantur, formæ, & figuræ, & colores, in solo sunt sensu.

5. Ergo res, quarum causæ Efficientes, in his Apparitionibus dandæ sunt, primo sunt species atque idola in humanis sensibus tantum residentia; deinde colores alij; tertio formæ atque figuræ aliæ atque aliæ, sub quibus Christus ut dicitur, apparet. Præter hæc nihil hic inueni-

M

tur,

tur, & ob id, ille propriè caussa harum Apparitionum, dicetur, cui rectè decentèrque illorum trium effectio, siue efformatio tribuitur. Et quis ille?

6. De Deo dubium nō est, quin vt omnia per ipsum facta aliquando sunt, cœlum, & terra, & quæcunque cœli ambitu continentur: ita hæc, quæ sunt illis multò inferiora, possit. Optimè dixit Angelus, Luc. i. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Esther. c. 13. In ditione tuâ cuncta sunt posita.

7. Sic doctioribus vix dubium est, quin Angelorum ministerio, fieri omnia possint. Triplici enim virtute plurimùm illi præstare valent; per motum scilicet localem; per applicationem actiuorum ad passiuia; per sensuum, quandam, vt ita dicam, ludificationem. Quantum valeant per motum localem, testatur motus cœlorum velocissimus, tam magnorum, vastissimorumque corporum, absque vllâ ipsorum defatigatione. Quantum per applicationem actiuorum ad passiuia, docent variæ Apparitiones Dei in veteri Testamento, ipsorum operâ administratæ. Quantum per sensuum ludificationem, Sodomitæ cæcitate ab illis percussi, quando in domum Sancti viri Loth impetum fecerunt.

8. Vtrique igitur, Deus inquam & Angeli, possunt has Apparitiones efficere; verumtamen non eodem modo. Potest Deus, quo Angeli, sed non Angeli, quo Deus. Nam quemadmodum illas Angeli possunt motu locali, applicatione actiuorum ad passiuia, sensuumque illusionem, ita potest Deus. Sed Deus præterea potest per se, absq; caussis secundis agentibus, & patientibus; hoc non possunt Angeli.

9. At

9. Atque hinc est, vt Apparitiones hæ respectu Dei, possint dici, & esse nobis supernaturales; vt si solus ipse, aliquando agat, nullam caussarum secundarum assumens, quibus in simili negotio Angeli indigerent. Sed quatenus Angelorum operâ perficiuntur, quia naturales ipsorum vires, secundarumque caussarum, quæ ab Angelis assumuntur, non excedunt; quamuis naturales non videantur, reuera tamen naturales sunt, dicique possunt & debent.

10. Verum sit ita. Possint Apparitiones hæ, & Deum, & Angelos habere autores; sed quem habent? Angelos habent, non Deum vt plurimum. Persuadet hoc suauis diuinæ prouidentiae, quâ cuncta administrat, ratio. Quæcunque enim fieri possunt ministerio caussarum secundarum, quamuis sine his, & per se illa possit Deus, non tamen per se illa operatur. Mouet coelos per Angelos; producit hominem per maris feminæque coniunctionem; animantia per virtutem naturalis feminis, &c.

11. Sed & quæ omnino ipsius opera existimari potuerunt, corpora corporumque variæ formæ, quibus se in veteri testamento conspiciendum exhibuit, Angelorum, opera sunt omnia, quemadmodum docet, liber 1. de Apparit. veteris testamenti. Et quæ in fine mundi, mortuorum erit resurrectio, sine Angelorum ministerio non perficitur, sicut habet lib. de gloriosâ Christi in nubibus Apparitione.

12. Alio verò atque alio modo ex tribus, quibus plurimum Angelos posse diximus, Apparitiones has, siue res, per quas Apparitiones hæ fiunt, efficiunt: prout alia



atque aliæ sunt Apparitiones. Nam si in Sacramento nulla facta sit immutatio, illusionem sensuum Apparitiones perficiuntur. Si immutatio aliqua fiat, illam vel motu locali efficiunt, vel applicatione actiuorum ad passiuæ.

13. Illusio sensuum contingit, vel ex parte potentia, vel medijs, vel corporis circa Eucharistiam. Species enim Christi, quæ videri creditur, vel in organo sensus fingitur; vel producitur in medio; vel incipit esse in corpore aliquo Eucharistiæ vicino. Quomocunque fiat, vbiuis formas, quæ videntur, producere possunt. In visus organo, subsidio humorum atque spirituum, & in iis latentium specierum. In medio & circa Christi corpus, partim per se immediatè aerem condensando, formamque quam volunt, ipsi dando; partim mediatè, complicatione actiuorum & passiuorum, ad quam quas volunt, formæ sequuntur.

14. Motu verò locali, atque coniunctione actiuorum passiuorumque vtuntur, quando in Sacramento mutatio aliqua existit. Et motu locali quidem, figuram peregrinam vt plurimum Sacramenta accipiunt. Actiuorum autem passiuorumque coniunctione, peregrinos colores, qualis est sanguinis. Vtroque fit vt plurimum sanguis, qui ex hostiâ quandòque profluxisse, est obseruatus.

## CAPVT III.

*An Apparitiones Christi Sacramentales  
sub peregrinis speciebus, quandòque Demonum  
operâ perficiantur, quibusue hæ Apparitiones  
Dæmoniæ acci-*

*dant.*

*Pos-*

Possunt fieri, quia plurimum valent dæmones iis, quæ hic requiruntur.

Virtute mouendi corpora;

Facultate coniungendi actiua passiuis;

Illusione sensuum.

Verisimile quoque, aliquando factas. Non Sacramento abutentibus.

Si quæ factæ, ex iis fuerunt, in quibus nullæ in speciebus Sacramentalibus, mutatio accidit. Sed sibi de sanctitate blâdientibus, Sæpe, aliis superbe præferentibus. &c.

Non rectè dicitur illas à Dæmoni-

bis factas, ubi species tandem corrumpuntur.

Quæ aliquando acciderunt, accidunt hominibus non infidelibus.

Non de veritate Sacramenti dubitantibus.

1. **M** Agnam Dæmonum esse vim, atque potestatem nôrunt omnes. Et quoniam eiusdem sunt cum bonis spiritibus conditionis; & nec minores ipsorum, quàm illorum vires; potuerunt, vt videtur, etiam harum Sacramentalium Christi sub peregrinis speciebus Apparitionum, non minus esse autores, quàm Angeli boni.

2. Res eò facilius creditur, quod quibus modis Apparitiones hæ ab Angelis perficiuntur, iisdem etiam plurimum præstent dæmones. Quo enim sunt inferiores? An virtute corpora mouendi? an facultate componendi actiua passiuis? aut industriâ imponendi sensibus?

3. Virtute corpora mouendi non sunt destituti. Nullum est adeò vastum corpus, quod dæmones quâdam impressione loco mouere nequeant; & quidem velocissimè; dummodo eâ mutatione ordo vniuersi non turbetur. Itaque possunt rem aliquam oculis subtrahere, & aliam substituere tam præpoperè, vt animos oculosque

intuentium fallant, eisque persuadeant prioris in hanc posteriorem, integram conuersionem. Talis existimatur, fuisse conuersio sociorum Diomedis in aues. De quâ S. August. tom. 18. de ciu. c. 18.

4. Nec sunt destituti facultate actiua passiuus coniungendi; nam & hæc motu locali absoluitur. Mira uerò hæc & possunt, & præstant. Nec mirum, cum rerum naturalium substantias proprietatesque nôrint perfectissimè; nôrint etiam commoda applicandi tempora; & eâ sint solertiâ, ut optimè horum ministerio, quos volunt, admirandos effectus producere queant. Hæc industriâ usi sunt, quando pro uoluntate Magorum Ægyptiorum, virgas in serpentes commutârunt, ranas item atque ciniphes produxerunt. Quanquam sint, qui uelint ipsos non aduertentibus spectatoribus virgas subtraxisse, earumque loco, ueros serpentes uirgis mole æquales supposuisse; tam subito & subtiliter, ut Ægyptij spectantes crederent, ipsarum uirgarum esse immutatam formam.

5. Nec minus possunt dæmones sensibus imponere, quàm Angeli boni. Et quod non minus possunt, sapius hi quàm boni faciunt; nunc per obiectum, quod fingunt; nunc per medium, quod immutant; nunc per sensus, quos occupant.

6. Illudunt siue decipiunt ratione obiecti, quemadmodum docet Molina noster, 1. p. q. 3. a. 4. primò rerum ostensarum celeri agitatione, subitâ occultatione, variâ collocatione, separatione, uel conglutinatione latente. Deinde noui obiecti fabricatione, illiusque potentia repræsentatione. Tertiò oppositione alicuius externi cor-

po-

poris, quod vi suâ efficiat, vt id quod videtur, aliud appareat, quàm reuera sit.

7. Illudunt ex parte mediij, impediendo species rerum, ne ad sensus deferantur; medium item aliquâ qualitate imbuendo, quâ species, quæ per medium defertur, quasi inficitur, ideoque obiectum aliter quàm est, repræsentat; præterea medium condensando, aut etiam vehementius agitando. Nam vtroque hoc modo, res aliam formam in sensibus accipit, quàm in se habet.

8. Illudunt ex parte potentiæ vel organi, situm eius immutando; humores & spiritus, in quibus species rerum resident, agitando & perturbando, aut crassiori aliquo humore spiritibus vitalibus viam obstruendo, ne ad organum perueniant. Omitto alios modos nobis incognitos, ipsis notissimos.

9. His modis sensibus dæmones solent illudere, & mirabilia videri efficere. Quædam referimus ex Clem. Rom. l. 2. Recogn. & l. 6. cõstit. Apostolicarum de Simone Mago. Docet eundem hâc dæmonum arte, ex aere nouum creâsse hominem; quibus volebat, inuisibilem factum; saxa quasi lutum penetrâsse; statuas animâsse; in aerem sublatum volâsse; aurum plurimum exhibuisse repente; reges facere, eosque deiicere potuisse; falci præcepisse, vt ipsa iret & meteret, eamque iuisse, & decuplo plus cæteris messuisse; eundem, cum esset aliquando Selenæ meretrix in turri quâdam, & accurisset multitudo ingens ad eam videndam, turrimque circumcinxisset adstantium corona: fecisse, vt illa per cunctas fenestras turris illius, omni simul populo prospicere & procumbere

videretur; denique quod pueri incorrupti violenter necati, animam adiuramentis euocasset, eiusque adiutorio talia patraret. Hæc Clemens.

Addit nonnulla Anastasius Nicenus, q. 23. S. Scriptur. Statuas inquit, faciebat ambulare; & in igne volutatus non urebatur; in aere volabat; & ex lapidibus panes faciebat; serpens fiebat, & in aliquot alias bestias transformabatur; duas habebat facies; in aurum conuertebatur; in conuiuuis exhibebat spectra omnis generis; vasa, quæ erant in ædibus, faciebat videri, tanquam quæ sua sponte mouerentur ad ministerium, iis qui portabant, non visis; efficiebat, vt multæ ymbrae illum præcederent, quas dicebat esse animas defunctorum.

10. Atque ex his clarum est, Apparitionum harum dæmones autores esse posse. Quid, quod fuisse quidam credant? Certè Alex. Alensis 4. p. q. 53. memb. 4. a. 3. & Gab. Biel. lect. 51. in Canonem Missæ, illas operâ dæmonum credunt esse perfectas, in quibus visa caro, aut sanguis temporis diuturnitate corrupta fuerunt. Hoc vtrum verum credi, dicique debeat, postea intelligetur.

11. Nos profectò factas aliquando, non faciliè negauerimus. Si enim dæmones Christi speciem atque imaginem, absente Sacramento aliquando exhibuerunt, quid prohibet, ne exhibeant præfente? Exhibuisse verò, duobus exemplis inter alia docetur, cap. 26. lib. de locis infectis, altero B. Martini, altero Secundoli. Cum enim Martinus morti proximus esset, eâ se specie ipsi exhibuit dæmon, quæ Christum referret: & quâ, nisi habitus versi pellem prodidisset, fortè vir Sanctus deceptus fuisset. In eadem

dem

dem specie apparuit Secundolo, & vt eremum relinqueret, autor fuit.

12. Sed tamen non omnes per dæmones fiunt. Cum enim harum Apparitionum quædam, accidant reali Sacramenti ipsius immutatione, quâ videlicet species Sacramentales vel nouam qualitatem induunt, vel nouam accipiunt figuram, quædam fiant solâ sensuum illusionibus, absque vllâ reali Sacramenti immutatione: has dixerim aliquando fieri operâ dæmonis, illas nequaquam.

13. Et has idcirco dæmonibus autoribus concesserim, quia aliquas ipsius factas operâ, non facile iuerim, inficias, hicque nulla fiat Sacramento irreuerentia. Et quod versipelles his illusionibus intendunt, optimè hoc Apparitionis genere possunt præstare.

14. Illas, quæ cum reali specierum Sacramentalium immutatione accidunt, per ipsos fieri negandum est. Tum quod verisimile sit, Deum illis non permittere, tum etiam quod ipsi Spiritus nequam, Sacramentum vehementer horreant & fugiant. Notæ sunt S. Bernardi, atque Prosperi Aquitanici historiae. Ille per Eucharistiam Mediolani demonium expulit hâc ratione: adest inique Spiritus summa potestas; in eius tibi virtute præcipio, vt ab hâc eius ancilla egrediaris. Ille testatur dæmonem profligatum à puellâ, communicatione corporis Christi. Vtrumque exemplum, & alia præterea pro hoc argumento habes, c. 26. de dæmoniacis.

15. Quapropter non probatur sententia Alexandri atque Gabriëlis, qui etiam harum secundi generis quasdam, operâ Diaboli perfectas esse credunt; illas videlicet, in.

N

qui-

quibus species carnis aut sanguinis, in quas hodie fuerunt conuersæ, computruerunt. Quam enim habet consequentiam: Computruit caro, in quam hostia est conuersa, ergo hostia dæmonis arte & operâ, in carnem fuit conuersa?

16. Accedit, quod hanc Alexandri & Gabrielis sententiam, Ecclesia suo ritu quodammodo videatur damnare. Siquidem quasunque peregrinas species, sub quibus Christus quandoque visus est, magnâ habet in reuerentiâ, magnoque honore profequitur; siue illæ à primâ formâ non degenerârint, siue corruptionem contraxerint.

17. Hominum autem rationem videntur habere dæmones, dum his fictis Apparitionibus eosdem fascinant. Quibus ergo maximè hisce illudunt? Non infidelibus suspicor, & de veritate corporis Christi in Sacramento dubitantibus. Quoniam magni, excellentissimique boni, id est veræ fidei, ipsis hâc ratione præsens argumentum præberent, quemadmodum hâc ratione præberi post demonstrabitur. Quis verò quærere bonum mortaliū, dixerit humani generis hostes?

18. Sic nec iis, qui Sacramento altaris abutuntur. Nam & hos scelere, quod patrarent, auocarent, & ad faniora consilia adducerent, quod etiam ab illorum ingenio est alienum. Et quot, quâmq; foedè, impièque, Sacramento abutuntur ipsis deuotissimi malefici, & sagæ? Quando verò auditum, quod horum quenquam insolitâ Apparitione terruerint dæmones?

19. Illis maximè à Dæmonibus illudi crederè, qui sibi de sanctitate blandiuntur, Reuelationibus enim gaudent;

dent; hoc nomine videri desiderant; se aliis præferunt, melioresque existimant, vnde & suum facile iudicium, aliorum etiam Prælatorum Ecclesiæ anteponunt: & suis opinionibus quamuis falsis, ita adhærent, vt nullis rationibus ab iis dimoueri possint.

## CAPVT IV.

*De causis quasi Efficientibus harum Apparitionum, siue de Occasionibus, quæ quodammodo cause Apparitionum dici possunt.*

*In harum numero sunt,  
Quorundam pius affectus;  
Impietas, & studium vindictæ,  
Nutatio in fide.*

*Indignitas sumentium Sacramen-  
ta;  
Profanatio eorundem;  
Studium cognoscendi mysteria no-  
stra religionis.*

I. **E**stat, vt occasiones harum Apparitionum, indagemus, quæ quamuis propriè causæ Efficientes dici non debeant: quia tamen cum iisdem aliquid habent commune, hic potius quàm alio loco sunt assignandæ: simulque quid iusti æquitatisque contineant aperiendum, & illud quidem, præsentè capite, posterius sequente.

2. Principio igitur inuenio, quorundam pium vt apparet, desiderium, his Apparitionibus occasionem dedisse. Docet hoc exemplum Plegili Presbyteri, qui post-



quam precibus à Deo contendisset, vt Christi sibi sub peregrinâ specie visio contingeret: voti factus est compos; atque Christum in infantis figurâ, in altari conspexit, eundemque contrectauit, complexus est, osculatus est, quemadmodum testatur Paschasius Episcopus Corbeiensis, lib. de corp. & sanguin. Domini in Eucharistiâ, cap. 14. Huc refero orationem, desiderij testem, B. Gregorij, præsentisque populi, quâ mutationem hostiæ in peregrinam speciem, obtinuisse videntur à Deo; quando mulier Sacramentum sumptura, in risum dicitur profusa, quod corpus Domini diceretur à B. Gregorio, quem ipsa panem cōfecerat. Orationem quoque duorum Abbatum, qui idem à Deo creduntur petiuisse, in gratiam Abbatis, qui de veritate Corporis Christi in Sacramento dubitauit. Historiam rei gestæ habet Metaphrastes in vitâ Arsenij.

3. Deinde iisdem occasionem dederunt impietas atque studium vindictæ, quam quidam de Christo sumere desiderârunt. Nam quam in propriâ personâ ipsi, tanquam in cœlo ad Patris dexteram residenti, contumeliam atque ignominiam inferre non potuerunt, voluerunt inferre sub Sacramento venerabili, latenti. Hoc nomine damnantur Iudæi, qui Sacramentum à sacrilegis Christianis emptum, pugionibus confoderunt; atque vt Christus se in Sacramento proderet, impiis vocibus postulârunt. Horum nos meminimus p. 1. c. 1.

4. Præbuit etiam occasionem quorundam in fide nutatio, siue de veritate corporis Christi dubius animus; vt Sacerdotis illius, cuius meminit Platina in Urbano IV. Amalphitani quoque Episcopi, de quo Damianus tract.  
de mi-

de miraculis apud Surium, tom. 7. Et Adolphi de Dioferne apud Cæsarium, l. 9. c. 1. vt mulierem omittam atque Abbatem, quorum n. 2. huius c. facta mentio.

5. Quarto præbuit occasionem temeritas, Sacramenta corporis & sanguinis Domini, impurâ conscientiâ tentantium sumere. In horum numero est mulier, cuius meminit Sigebertus, ad Añum Domini, 1180. Sacerdos quoque malæ vitæ, de quo in vitâ Hugonis. Huc refero eos, qui non satis reuerenter Sacramenta tractârunt, inter quos forte fuit Coloniensis, qui quam sumpserat sacram hostiam, per vomitum eiecit. Vide p. 1. c. 1. n. 4.

5. Quinto loco sunt, qui Eucharistiam in profanos vsus conuerterunt. Primùm ille, qui in aluearia iniecit spe conseruandarum apum; deinde mulier, quæ suafu malefici eandem certis carminibus incantauit, vt eadem maritum ab adulterio auocaret; tertio alia non minus temeraria, quæ prunis impositam credidit valere ad amorem mariti sibi conciliandum. Exempla hæc ad longum posita sunt p. 1. c. 1. [Huc quoque referenda videtur mulier Augustana, de quâ ibid. addit. n. 1. etsi ex historiâ non satis apparet, quo animo hostiam asseruârunt.]

6. Sexto loco, dedit his Apparitionibus occasionem, studium siue voluntas cognoscendi mysteria Religionis Christianæ. Hæc locum habuit in Windekindo Saxonie Duce; atque Hebræo, cuius in vitâ B. Basilij meminit Amphilochius. Et ille quidem vidit de manu purpurati Sacerdotis, pulchellum infantem ad os communicantium, transire; hic per manus Basilij, infantem communicantibus partiri. Res notæ sunt ex iis, quæ, p. 1. c. 1. sunt dicta.

8. Et hæc quæ diximus, Apparitionibus à nobis p. 1. c. 1. allatis occasionem dederunt; potuerunt & res plures dedisse; fortè etiam dederunt plures; sed hæc præcipua sunt. Aliquando etiam ex hominum parte nihil potuit, fuisse, & Deus suas habuisse causas, cur accidere easdem voluerit; quæ ut nobis sunt ignotæ, ita Deo notissimæ atque iustissimæ.

## CAPUT V.

*An cum, vel sine hominum peccato, aliquando acciderint hæc peregrinæ, & inusitatæ in Sacramento Apparitiones?*

*Quidam non peccarunt datâ ipsis occasione;*

*Fortè & bene fecerunt.*

*Quidam grauius peccarunt; ut qui dubitarunt de veritate Sacramenti;*

*Qui indignè ad Sacramentum accesserunt;*

*Qui idem in profanos vsus conuer-*

*terunt;*

*Qui sauiuerunt in Sacramentum;*

*Non videntur absq; omni peccato fuisse omnes, qui has Apparitiones optarunt;*

*Non videtur licitum easdem optare,*

*Id insinuant in similibus rebus,*

*B. Augustinus & Gerson, &c.*



I. Vid iusti æquitatisque, in dictis iam Apparitionibus fuerit, & vtrum aliquod aliquando hominum, huc delictum interuenit, hoc capite est explicandum. In quibusdam facilis est responsio; in aliis difficilior. Nos tria re-  
ctè, verèque dici existimamus, quæ breuiter adiungimus.

2. Pri-

2. Primum est, aliquando nihil peccatum esse ab hominibus, quando his Apparitionibus occasionem dederunt Quis peccati arguat Windekindum, quando ut Christianorum religionem exploraret, habitum mutauit: & dum in aliorum oberrat turbâ, Christum in specie infantuli obseruauit? Tantùm abest, ut homo infidelis peccarit, ut hæc sancta curiositas principium illi fuerit, ad fidem Christianam amplectendam, tenendam, profitendam, propagandam. Idem fortè quis non malè dixerit de Hebræo, cuius apud Amphilochoium fit mentio.

3. Alterum est, aliquando magnum hinc peccatum commissum esse, & quidem à pluribus. Principio iis, qui de veritate corporis Christi, in Sacramento dubitarunt. Quomodo enim iuste, atque sine Dei offensâ, hinc Christianus homo potest dubitare: cui tot testimonia & argumenta suppetunt, pro veritate corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento confitendâ? Hæc quia aliàs persecuti sumus, hinc repetenda non sunt.

4. Deinde ab illis, qui cum conscientia peccati mortalis, ad Corporis atque sanguinis Christi Sacramenta accesserunt; qui eò minus hunc accessum sibi patere arbitrari debuerunt, quod iam olim grauissimè punitos esse, ex B. Paulo potuerunt cognoscere eos, qui indignè Sacramenta percepissent. Idcirco inquit ille, 1. Cor. 11. (quia nimirum manducauerant. & biberant indignè) inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Qui enim inquit idem, manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

5. Præterea ab iis peccatum est, qui Sacramenta in  
pro-

profanos vsus voluerunt conuertere, & conuerterunt; sibi que suæque libidini fecerunt seruire. A quibus etiam grauius quàm à prioribus creditur delictum esse: quòd & hic Sacramenta indignè accipiantur plerumque, & præterea indigniùs tractentur.

6. Denique grauius peccatum esse à Iudæis, qui in Sacramentum sunt debacchati, & in terris rursus quodammodo Christum crucifixerunt, dubium nullum esse potest. Quid enim horum, (si non omnium, certè aliquorum,) peccatum differt à peccato crucifigentium Christum? quid quod horum quorundam, illorum superare, potuerit: præsertim, si summæ voluntatis nequitia ratio habeatur? Vt ob id non immeritò in similes sacrilegos atque blasphemos, summis & exquisitis suppliciis, pro Christi iniuriâ vindicandâ, animaduernerit Christianus Magistratus.

7. Tertio dico, dubitari posse, an absq; omni omnino peccato fuerint omnes, qui has sibi Apparitiones fieri à Deo optârunt. Cur enim optârunt? An vt in fide de veritate corporis Christi in Eucharistiâ confirmarentur? at dubium, & vacillantem eorum animum in fide, hæc res arguit. An vt maiores haberent spirituales consolationes? at magnas satis sufficientesque pij animi habere possunt, quamuis etiam nullæ ipsis similes Apparitiones contingant. Sciunt, vel scire debent, non minus præsentem esse Christum, sub specie panis, quàm carnis, aut infantis, aut crucifixi.

8. Quod si quis Sanctos viros obiiciat, qui has vel alias sibi reuelationes & Apparitiones diuinitus fieri postulâ-

stulârunt; vt postulâsse leguntur Ephrem apud Amphilo-  
chium, in vitâ Basilij, Maurus apud Surium, Tom. 1. in vi-  
tâ eiusdem, & Hereberti apud eundem Surium, tom. 2.  
Quemadmodum hos ego non auderem damnare, sic nec  
vererer aliis suadere, ne sibi idem putarent imitandum.  
Sunt multa in Sanctis admiranda, quæ non imitanda.

9. Probo doctrinam B. Aug. lib. 10. Confess. c. 42.  
in simili propemodum argumento, cui cum persuadere  
conatus fuisset dæmon, vt à Deo signum peteret, ille hoc  
detrectauit. Ideo alibi (lib. de verâ religione,) monet,  
his abstineamus, & quod intra nos est Dei regnum, in iis  
quæ videntur, non quæramus.

10. Post B. Augustinum, monemur à Gersone, cuius  
in similibus magna est autoritas, hisce verbis. Enarrantur,  
inquit, exempla Sanctorum Patrum, qui curiositatem  
huiusmodi visionum vel miraculorum, tanquam perni-  
ciosissimam fallacissimamque refugerunt; à quâ se Augu-  
stinus liberatum, in suis Confessionibus gloriatur in Do-  
mino. Quam propterea D. Bonauentura abhorrendam,  
nimis determinat, totoque conatu repellendam, nunc  
increpationibus & orationibus, nunc flagellationibus  
propriæ mentis, & corporis: exemplo illius, qui vt tentatio-  
ne careret superbiæ, quæsiuit & obtinuit à Deo, vt per  
tres menses dæmoniacâ vexatione torqueretur. Alter SS.  
Patrum, dum sibi dæmon transfiguratus in Christum, dice-  
ret: Ego sum Christus te personaliter visitans, quia dignus  
es: confestim clausit oculos vtrâque manu, vociferans:  
Nolo hic Christum videre, satis est, si ipsum in gloriâ vide-  
ro; statimque disparuit. Alter sub aliis verbis, similem ser-

uauit in huiusmodi illusionem humilitatem : Vide inquit, ad quem missus es ; ego certè talis non sum, quod dignus sim, hic videre Christum. Ita Gerson.

## P A R S I V.

De finibus in his Apparitionibus Sacramentalibus Christi, sub specie peregrinâ, propositis.

**F**ines agentium sunt. Omne enim agens, inquit Aristot. 2. physic. tex. 90. propter finem agit ; maximè verò Deus, atq; Angeli tam boni, quam mali. Ergo quando nobis hic de finibus questio est, quidnam Agentibus, siue causis Efficientibus, in his Apparitionibus fuerit propositum, queritur. Quia verò Apparitiones ipsa, quandoque Deum ( qui tamen per Angelos bonos, hic agit omnia, ) habent autorem, quandoque demones : & horum contraria sunt studia, non iidem possunt Deo, & demonibus hic propositi esse fines. Vtrorumq; igitur inquirendi sunt, sed Dei inprimis, & postea demonum. Deus autem videtur has velle seruire vel institutioni, vel consolationi, vel redargutioni. In tertio hoc parum plerumq; fructus expectatur. In primo, vel fides Christiana inuatur, vel formantur boni mores. In secundo, nullam per se horum intenditur. Hæc de finibus breuiter ; in sequentibus paulo fusius illa explicanda sunt. A Deo principium facimus ; & initio, quomodo fidei causam his Apparitionibus promoueat, aperimus.

Quo-

*Quomodo à Deo fides Christiana, his Apparitionibus Christi, sub peregrinis speciebus promoueatur?*

<i>Promouetur primùm ipsa fides in genere;</i>	<i>Magnum argumentum ex ipsis sumitur, pro tribus dictis articulis.</i>
<i>Quia in quibusdam nihil aliud potuit esse propositum.</i>	<i>Sed tamen, non autoritate harum Apparitionum tantùm, in dictis nituntur Christiani:</i>
<i>Confirmantur deinde iisdem, quidam fidei articuli, de veritate Eucharistia;</i>	<i>Sed præterea verbo Dei, Traditione maiorum,</i>
<i>De sufficientiâ alierius speciei;</i>	<i>Consensione totius Eccl. sã.</i>
<i>De Sacramento extra usum.</i>	

1. **N**ouum non est Deo, homines per miracula, resque prodigiosas, vel ad fidem, Christianamque religionem adducere; vel in fide susceptam semel, nutantes confirmare, & conseruare. Intellexit hoc B. Apostolus. Vnde de quodam, quasi miraculorum genere loquens, Linguæ, inquit, in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. 1. Cor. 14.

2. Et Christus Dominus id suo exemplo, suamque doctrinam egregie confirmat, quando discipulos Ioannis Baptistæ, ad se causam instructionis missos, ad miracula reuocat; ex his ipsos volens intelligere, quid credere, quid uere sentire de se debeant. Euntes, inquit, renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt,



pauperes Euangelizantur, Matth. 11. Idem docet, idcirco nō sine infidelitatis peccato magno esse Iudæos, quod etiā postquam præclara eius opera in miraculorum patratiōne vidissent, ipsi tamen non crederent. Si inquit, Ioan. 15. opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Hinc & Apostolos, quos fidei propagandæ gratiâ, in vniuersum mundum misit, virtute miraculorum voluit esse instructos. Ita enim, Matth. 10. ad eosdem, Euntes, inquit, prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, & dæmones eiicite. Et postquam secundò, iam ad cœlum ascensurus, hæc ipsis mandata dedisset, Marci, vlt. dicitur, quod profecti prædicauerunt, vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

3. Duobus autem modis miracula, siue prodigia in fidei negotio seruiunt, & seruiuerunt. Nam vel caput religionis & fidei, siue ipsam religionem confirmant, veramque conseruant; vel certa quædam, & singularia Christianæ religionis dogmata, v. g. Christi diuinitatem, processionem Spiritus S. à Patre, virtutemque Sacramentorum nouæ legis, mortuorum resurrectionem, purgatorias post hanc vitam, animarum pœnas.

4. In priori modo, seruiuerunt propemodum, quæ à Christo patrabantur atque Apostolis, qui vbique prædicabant, sermonem confirmante Domino, sequentibus signis. In posteriori plura, quæ iactò aliquali fundamento Christianæ religionis, acciderunt. Qualia sunt aqua euanesceus, pro Baptismo non repetendo, de quo Nicephor. lib. 14.

lib. 14. cap. 17. Variæ Apparitiones piè defunctorum, viuorum subsidia postulantium, de quibus in append. ad lib. de Apparitionibus omnis generis spirituum. Mortuorum quorundam ad præsentem vitam reditus, de quibus vtrumque testamentum. Ampulla Chrifti, quæ inter ipsa saxa proiecta, integra permansit, pro testimonio Sacramenti confirmationis, de quâ Optat. Milleuit. Denique p. Chrifti diuinitate confirmandâ, tempore Arii, primum Chriftus in formâ pueri, apparens Petro Alexandrino, & querens vestem suam ab Ario scissam, apud Sur. to. 6. 15 Nouemb. Deinde subscriptiones duorum Episcoporum, Chrysanthi atque Musonij, qui ex hâc vitâ discesserunt, cum nondum definitioni Nicænæ Synodi subscripsissent. De his enim prodidit Gregor. Cæsariensis, apud Lippom. to. 6. in orat. de Nicænâ synodo, quod superstites Concilij Nicæni patres, ad communem locum, in quo dormiebant, accesserint, hâcque ad mortuos oratione sint vsi: O fratres dixerunt, & Patres, præclarum nobiscum, certamen decertastis, cursum perfecistis, fidem seruastis. Si ergo, quod factum est, Deo gratum iudicatis (nunc enim purius cernitis,) ne quid sit impedimento, quo minus vos quoque decisionem subsignetis. Hæc simul & dixerunt, & signatâ decisione, sanctorum Patrum loculo impositâ, totam illam noctem insomnem peragunt in oratione. Die autem sequenti, cum venissent ad loculum, solutis quæ erant imposita signaculis, cum sanctam reuoluissent decisionem, inuenerunt sanctorum Patrum ad eos adiectas subscriptiones &c.

5. Atque, vt Deo in aliis fidei Christianæ articulis

propositum fuit, non rarò mentes hominum miraculis inducere & confirmare : ita fuit in grauiſſimo difficillimò-que SS. Eucharistiæ ſacramento. Nam & pro hoc voluit ſeruire miracula, atque prodigia noſtrarum Apparitionũ: & quod hic eſt ſingulare, valere non tantũ ad quosdam articulos fidei de Eucharistiã, hominibus perſuadendos: ſed etiam ipſam Chriſtianæ religionis vniuerſæ, ſanctitatem demonſtrandam.

6. Et ità rem ſe habere in his Apparitionibus, videmur poſſe rectè colligere, ex allatis à nobis, p. I. c. I. exemplis. Exiſtimamus in illis Deo præcipuo autori, propositum fuiſſe, nunc ſanctitatem, integritatem Chriſtianæ religionis indicare, nunc Chriſtianum populum in quibusdam articulis, de hoc Sacramento erudire.

2. Magnã ergo prouidentiã hæ Apparitiones fiunt, ſed maiori bonitate & clementiã. Prouidentiã quidem, quia hominum ingenio ſe diuina ſapientia accommodat, & quibus illi rebus maximè mouentur, (vtique inſolitũ & inuſitatis,) eiſdem hic mouet. Bonitate verò atque clementiã vtitur, quando nullam rationem ſalutis noſtræ comparandæ, confirmandæ & conſeruandæ negligit. Sed doceamus, quid in fidei negotio, hæ Apparitiones promoveant.

8. Valent igitur primũ, ad Chriſtianæ fidei in genere, integritatem, ſanctitatemque demonſtrandam. Et hoc omnes facere, non difficile docetur; minimum enim noſtræ religionis caput, miraculo doceri nequit, quin eodem non vniuerſa Chriſtiana religio confirmetur. Sed tamen quædam ex Apparitionibus videntur eſſe, in quibus  
hoc

hoc vel solùm, vel maximè Deo propositum fuit, vt Christianæ religionis sanctitatis, testimonium diuinitus acciperetur. Tales existimo ex recensitis à nobis, p. 1. c. 1. Apparitionibus, duas fuisse; alteram V Vindekindo factam, cuius meminit Krantz. alteram factam Hebræo, quam in vitâ Basilij, refert Amphilochius.

9. Nam primum, hic bonum atque emolumentum illorum, quibus Apparitiones hæ factæ sunt, Deo fuisse propositum, nemo dubitare potest. Quid ita? Quia Apparitio, vel in miraculorum est habenda numero; vel certè Angelorum fuit opus. Prius illud sine bono ipsorum, quibus facta est, non perfectum fuit, quemadmodum nec vllum, quod in alicuius gratiam Deus operatur, miraculum. Neque hoc desideramus, si Angelorum hic opus agnoscamus: hi enim cum Dei ministros agant, aliud quàm Deus velle, nulla ratione possunt.

10. Quod verò bonum hic aliud esse potuit, quàm vt veram illi, salutarè que reciperent de fide Christianâ opinionem, animùm que ad eandem amplectendam adiiicerent? Neque enim, quod in his etiam Apparitionibus accidere solet, propositum esse potuit, vt confunderentur & arguerentur ipsi hæc visione: quia pio sinceròque animo, cupiebant Christianæ religionis mysteria intelligere, quod laude, non reprehensione dignum erat. Neque Deus illorum consolationem spiritualem, præcipuè spectauit; illa enim bene in fide fundatis, & qui excellenti in Deum caritate flagrant, quales illi non erant, vt plurimùm conceditur. Neque vt à vitiis declinarent, & in virtutum studia incumberent; nam & hoc fidei requirit fundamenta,

ta, sine quibus nulla vera, solidaque virtus subsistit. Itaque visione hâc, eos Deus dignatus est, vt ad Christianæ religionis professionem adducerentur.

11. Et hoc subsecutus effectus probauit. Nam Spiritui S. post Apparitionem factam, non restiterunt; mox animum ad religionem Christianam adiecerunt. Et ille quidem in Germaniâ, magno Germanorum commodo: hic in Græciâ, cum suo suorûmque fructu non pœnitendo, Res ex, p. 1. c. 1. est clara.

12. Non verò leue calcar, attulit vtrique visio. Quid enim aliud aut debuerunt, aut potuerunt existimare, quàm Dei singulare opus esse, quam habebant Apparitionem? Profecò hoc agnouit Imperator Carolus; hinc hæc ipsius vox: Plus tibi aliquid V Vindekinde à Deo, quàm cunctis Sacerdotibus, & nobis concessum est. Sit igitur, hic primus finis, qui Deo in his Apparitionibus, ad fidei negotium agendum propositus est.

13. Alter est, quod iisdem, iam Christianos atque fideles, in fidei quibusdam articulis erudiat atque confirmet. Primùm enim Apparitiones hæ, de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ dubitantes, confirmârunt. Deinde, indoctiores quosdam erudierunt, sufficere alteram speciem communicaturis; & non minùs Christi sanguinem percipere eos, qui sub alterâ panis specie sacramenta accipiunt, quàm qui sub vtrâque panis & vini. Tertio, verum perfectumque Sacramentum esse Eucharistiam, etiâ extra omnem sumentium vsu.

14. Magna hæc vtilitas est harum Apparitionum, quia magna incumbit Christiano populo necessitas, ne  
de

de horum vlllo dubitet; dubitare enim sine præfenti animæ salutisq̄ue discrimine non potest. Quocirca & anathema in contrarium sentientes, ferunt Patres Concilij Tridentini. Pro necessariâ professione veritatis corporis Christi, est Canon. 1. sess. 13. vbi sic habetur. Si quis negauerit, in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnâ cum animâ & diuinitate, Domini nostri IESV Christi, anathema sit. Pro sufficientiâ alterius speciei, est Canon. 3. sess. 21. Si quis negauerit totum ac integrum Christum, sub vnâ panis specie sumi, anathema sit. Pro veritate sacramenti extra vsu, est Canon. 4. sess. 13. cuius hæc sunt verba: Si quis dixerit peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse corpus, & sanguinem Domini nostri IESV Christi; sed tantùm in vsu, dum sumitur; non autem, antè, vel post; & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reseruantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.

15. Egregiè verò, pro singulis his tribus, nostræ Apparitiones Christi sub peregrinis, speciebus valent. Pro veritate enim Christi in Eucharistiâ, sunt sequentes. Primùm, facta matronæ, in præfentiâ B. Gregorij; deinde facta Sacerdoti inter Missarum solennia; tertio, facta Abbati ad preces duorum sociorum; quarto, facta Episcopo Amalphitano, &c. Cum enim hi omnes, vel de veritate corporis Christi in Eucharistiâ addubitarent; vel de elementorum in consecratione, transubstantiatione; quidnam verè realitèrque sub Sacramentalibus speciebus contineretur, bene Deus demonstrauit, quando species ipsæ nunc in

P

car-

carnem, nunc in sanguinem, nunc in puerum atque infantem, sunt transmutatæ.

16. Quod non minus, sanguis Christi in Sacramento percipiatur, alterâ panis specie porrectâ, quàm utrâque panis & vini: & præterea, quod sanguis à corpore Christi diuisus non sit, nôrunt quidem doctiores sine exhibitione harum peregrinarum formarum; indoctiores autem id faciliùs docentur, quando hostias obseruant nunc fluere, nunc madere sanguine. Atque hoc etiam Deo in his Apparitionibus propositum fuisse, quidam idcirco faciliùs credunt, quod eo tempore cruentæ hostiæ sint obseruatæ, quo Hæretici impotentiùs calicem vrserunt.

17. Similiter magnum argumentum ex iisdem Apparitionibus sumitur, vt credatur extra vsum, verum Sacramentû Eucharistiæ existere, Christumque Sacramento præsentem esse: non solùm dum sumitur, vt quidam ineptè somniant, verùm etiam, quando de sumptione nulla est cogitatio. In alueario proiectum Sacramentum, verum Christi corpus cõtinuisse, probat forma speciosissimi pueri, in quam videbatur mutatum, teste Petro Cluniac, lib. 1. de mirac. c. 1. & tamen nullus eo tempore erat Sacramenti vsus. Sic vsus hostiæ Sacramentalis non erat, vt pugionibus confoderetur; & tamen sanguis ex hostia fluens, certum præsentia Christi, erat argumentum.

18. Et hæc quidem Deo hisce Apparitionibus proposita fuisse, faciliè crediderim; tum præsertim, quando aliorum finium, quos hic quoque intendere solet, rationem non habuit. Interim, si aliud propositum fuit, profecto ad hos, de Eucharistiæ Sacramento articulos roborandos

dos, has Apparitiones plurimùm posse, nemo prudens negauerit.

19. Id addiderim pro sciolis quibusdam, non omne nos causæ nostræ Eucharistiæ præsidium in his ponere, vt illi nobis per calumniam obiiciunt; quasi fundamenta fidei nostræ, nudis, & non satis certis Apparitionibus, atque reuelationibus confirmemus. Non tam inepti sunt Catholici, vt hæc suæ professionis existiment præcipua præsidia. Habent pro hâc, quemadmodum & aliis omnibus, fundamenta firmiora, certioraque: Dei verbum, traditiones diuinas, consensum vniuersalis Ecclesiæ, &c. Ad quæ, cum Apparitiones hæ accedunt, & firmiùs faciliùsque credimus, & pluribus argumentis vrgemur, diuinæ bonitatis atque clementiæ, agnoscere atque prædicare, erga nos promptum studium.

### *Additiones.*

*Miraculosum Sacramentum Augustæ, Catholicam Religionem generatim,*

*Et speciatim, tres articulos de Eucharistiâ confirmat.*

*Quatuor sunt gradus miraculo-*

*rum: quoad substantiam, subiectum, modum, & ex providentiâ Dei.*

*In quarto gradu est miraculosum Sacramentum Augustæ.*

I. **Q**uod Deus alibi egit, vt Catholicam religionem Apparitionibus & miraculis Eucharisticis confirmaret, id vel maximè Augustæ Vindelicorum, in miraculoso apud S. Crucem Sacramento, spectâsse videtur: vt Lutherani præcipuè, vbi errorum suorum



fymbolum, Confessionem inquam, Augustanam, primò editum gloriantur: ibidem veram religionem confirmari videant, splendore miraculorum. Quorum ipsi nullum pro se afferre possunt, indigni qui de contemptu miraculorum audiantur: quibus cum fidem adimunt, omnem historiam è rebus humanis tollunt. Cur enim magis Livio, Tacito, Sallustio de rebus Romanorum, quàm S. Gregorio in Dialogis, S. Augustino, aliisque prodigia, quibus fidei nostræ mysteria cõfirmata sunt, narrãtib; credamus? Aut, cur minorem fidem tribuamus recentioribus miraculis, quàm veteribus, cum vtraq; eadem religionis dogmata, de Eucharistiã maximè, confirment?

2. Sunt certè miracula proprium opus Dei, & sicut sigillum testatur de voluntate Principis, sic ipsa veram Religionem nobis explicant. Vnde rectè dixit Richardus de S. Victore l. i. de Trinit. c. 2. Nonne cum omni confidentiã, Deo dicere poterimus: Domine, si error est, à te ipso decepti sumus? Nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.

3. Sed speciatim tres de Eucharistiã articulos hoc capite memoratos, Augustanæ hostiæ prodigio stabiliri palàm est. Veritatem quidem ac præsentiam corporis Christi in Sacramento verè colligimus; non enim apparet quid magis eã re spectare Deus voluerit. Qui hanc aliãque prodigiosas Christi Apparitiones, in Sacramento sub peregrinis speciebus, fidelium oculis tum obiecit: cum paulo ante Abailardus, Petrus de Bruis, eiusque discipulus Henricus à quo dicti Henriciani, & paulo post Albigen-  
ses

tes, tum alios Orthodoxæ Religionis articulos, tum vel præcipuè veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ impiè conuellerent; vt tempora annosque conferenti manifestum erit.

4. Vnâ deinde specie, non minus quàm sub vtrâque, totum Christum, eiúsque corpus & sanguinem contineri, sanguinea Miraculosi Sacramenti nostri forma demonstrat. Et cruento rubore, Lutheranos cogit erubescere, qui dum Christum sub vtrâque specie, sibi deberi pugnant: sacerdotibus ritè consecratis destituti, eundem sub neutrâ percipiunt.

5. Extta vsu denique, & sumptionem, Christum, in Sacramento præsentem esse, rectèque illud asseruari & adorari, quoad species, panis & vini substantiæ conseruandæ necessariæ, durant: idem hoc verè Augustum, Augustæ Sacramentum testatur. Huic enim diuinum cultum supra annos quadringentos & quadraginta, tot fidelium, populorum deuotio, constantissimè exhibuit: Deo qui falsitatis testis esse non potest, hunc sensum & cultum, confirmante sequentibus signis, tanto numero tamque manifestis sæpe, solius potentiæ suæ argumentis: vt ambigendi locus, relictus non sit nisi iis, quibus certissima, quæque videntur controuersa, quibusque nihil certi est, nisi quod ipsi somniant.

6. Neque mouere debet, quod supra dictum est, Apparitiones eiusmodi, vel esse miraculum, vel Angelorum opus, quatenus illorum operâ perficiuntur, neque naturales ipsorum vires, secundarumque causarum, quas assumunt,

excedunt, ideóq; quamuis naturales nõ videantur, reuera tamen naturales esse, diciq; posse ac debere: item, actiuorũ passiuorũque coniunctione, peregrinos colores qualis est sanguinis, in species Eucharisticas induci. Non enim, quod prodigium cruentæ & carneæ formæ, in SS. Sacramento Augustæ, ab Angelis perfectum sit aut perfici potuerit: ideo miraculosum dici, aut censerì non debet, aut quidquam illius veritati ac venerationi decedit.

7. Nam rectè, quatuor miraculorum gradus, distinguit Ioan. Malderus, Episcopus Antuerpiensis, 2. 2. q. 1. a. 5. S. 3. Et tres primi quidem, sumuntur ex S. Thom. 1. p. q. 105. a. 8. Dicitur, inquit, aliquid miraculum per comparisonem ad facultatem naturæ, quam excedit. Et ideo secundum quod magis excedit facultatem naturæ, secundum hoc maius miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ, tripliciter. Vno modo, quantum ad substantiam facti. Sicut, quod duo corpora sint simul, (per penetrationem, vt contigit cum Christus natus est de Virgine, & surrexit de clauso sepulchro, & clausis ianuis intrauit ad discipulos,) vel quod Sol retro cedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest. Et ista, tenent summum gradum in miraculis.

8. Secundò, aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit. Sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia. Potest enim natura caussare vitam, sed non in mortuo; & potest præstare visum, sed non cæco. Et hæc, tenent secundum locum in miraculis.

Ter-

9. Tertio modo, excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi. Sicut, cum aliquis subito per virtutem diuinam, curatur à febre, absq; curatione, & consueto processu naturæ in talibus; & cum statim aer in pluias densatur, absque naturalibus caussis, sicut factum est ad preces Samuelis & Eliæ. Et huiusmodi tenent infimum locum, in miraculis. Quælibet tamen horum, habent diuersos gradus, secundum quod diuersimodè excedunt facultatem naturæ, ait S. Thomas. Qui ibid. q. 110. a. 4. negat sufficere ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem, naturæ alicuius particularis. Quia sic, cum aliquis proiicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter naturam lapidis. Ex hoc ergo, aliquid dicitur esse miraculū, ait S. Thomas, quod sit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem non potest facere, nisi Deus. Quia quicquid facit Angelus, vel quæcunq; alia creatura, propriâ virtute, hoc fit secundum ordinem naturæ creatæ; & sic non est miraculum. Vnde relinquitur, quod solus Deus miracula facere possit. Ad 1. verò argumentum ibidem, quod Angeli videantur posse facere miracula, respondet: quod Angeli aliqui dicuntur miracula facere, vel quia ad eorum desiderium Deus miracula facit, sicut & SS. homines dicuntur miracula facere; vel quia aliquod ministerium exhibent in miraculis, quæ fiunt: sicut colligendo pulueres, in resurrectione communi, vel huiusmodi aliquid agendo.

11. Sed cum non rarò mira quædam eueniant, quæ nec quoad substantiam, nec ratione subiecti, aut modi virtutem totius naturæ creatæ excedunt, neque tamen.

Da.

Dæmoni tribui possunt: eò quod ad veri Dei inuocationem, aut in veræ Religionis confirmationem fiant, alius præter tres dictos, miraculorum gradus, rectè à Maldero assignatur.

12. Quartus igitur, & omnium infimus miraculorum gradus est, cum Deus mirabilia quædam præter ordinem quidem naturæ corporeæ, non tamen supra virtutem naturæ Angelicæ, ministerio Angelorum efficit; vel vltro ad diuinitatis suæ, aut veræ religionis contestationem; vel inuocatus, & precibus illorum permotus, qui nõ aliunde, quàm à vero Deo sperant, quod petunt, neque si exaudiantur, alteri acceptum ferunt, quam ipsi. Horum, enim sincerissimam spem, & optimam fidem, veræq; religionis existimatione, vt Dæmones eiusmodi operibus (quæ secundum se, naturalem eorum virtutem non excedunt,) fallere, & ludibrio, contemptuque exponere permittantur, diuinæ prouidentia ac bonitati repugnat.

13. Neque dici potest, hæc talia immediatè à solo Deo, sine causis naturalibus effici, (quo casu in secundo, vel tertio miraculorum gradu essent,) cum ordo diuinæ prouidentia habeat, vt per creaturas suas operetur, maximèque Angelos, qui in ministerium eorum missi sunt, qui hæreditatem capient salutis. Certè solum Deum, talia efficere, nullo argumento demonstratur. Quartus igitur miraculorum gradus admitti debet, quæ *miracula ex prouidentia Dei*, iuxta Malderum rectè dixeris, quia licet, vires fortius naturæ non superent, adeoque secundum se miracula non sint: peculiari tamen prouidentia, Angelorum ministerio, præter ordinem naturæ corporeæ, Deus illa efficit.

14. Ta-

14. Talia complura leguntur in diuinis literis. Vt cum coram Gedeone Iudicum 6. Angelus summitate virgæ tetigit carnes, azymosque panes, ascenditque ignis de petrâ, & omnia consumpsit. Et 3. Reg. 18. orante Eliâ cecidit ignis Domini, & vorauit holocausta, & ligna, & lapides, &c. sequente paulo post pluuiâ grandi, post visam paruiam nubeculam de mari ascendentem. Et Matth. 14. Petrus ambulauit super mare. Et Ioannis 21. discipuli mittentes rete in dextrum nauigij latus, non valebant illud trahere præ multitudine piscium, descendentesque in terram viderunt prunas positas, & piscem superpositum.

15. Quæ aliâque eiusdem generis, etsi secundum se Dæmones quoque, motu locali & actiuorum passiuorumque applicatione, efficere possint, vt ex Magorum operibus & historiis apparet, inter vera tamen miracula numeramur: & nõ nisi à vero Deo in diuinitatis suæ testimonium edita credimus. Ea autem Angelorum ministerio perfecta esse, tam persuasum esse debet, quàm certum est ex sensu Theologorum & Philosophorum, Deum secundum leges prouidentie suæ, solum & immediatè ea non efficere, quæ creaturarum vires non excedunt, Angelorum maximè. Inter quos Virtutes vocari illos spiritus, per quos signa & mirabilia frequentius fiunt, asserit S. Greg. hom. 14. in Euang. Hunc autem miraculorum gradum, S. Thomas quoque agnouit, vt colligitur ex Resp. ad 3. a. 4. q. 114. p. 1. quam desumpsit ex S. Aug. l. 83. qq. q. 79. vbi ait: Cum talia faciunt magi, qualia sancti, diuerso fine, & diuerso iure fiunt. Isti enim faciunt quærentes gloriam suam, illi quærentes gloriam Dei. Et isti faciunt per quædam

Q

dam

dam priuata commercia, illi autem publica administratione & iussu Dei, cui cuncta creata subiecta sunt.

16. Quare non repugnat Deum quandoque etiam Dæmonum operâ & virtute naturali vti, ad ipsorum ignominiam, & diuinitatis, potentiaque suæ manifestationem. Quo pacto Matth. 8. Marci 4. Luc. 8. iussit illos ire in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia. Quod propriâ quidem virtute Dæmones effecerunt, Christus autem non nisi ad diuinitatis potestatisque suæ testimonium retulit atque permisit, idq; inter signa Christi, sextum numerat S. Hieronymus l. 1. comment. in c. 8. Matthæi. Vbi illud discrimen aduerte, Dæmones non nisi inuitos, & coactos, ad Dei gloriam salutemque hominum, per eiusmodi mirabiles effectus promouendam, operam suam conferre, vt ex quorundam Sanctorum factis confirmari potest. Angeli autem, boni volentes, lubentésque obsequium Creatori suo & hominibus, non minùs in hisce miraculis efficiendis, quàm aliis ministeriis præstant eorumque operâ Deus ordinariè vti censetur, nisi aliunde constet, Dæmones veluti rebelles subditos, peculiari fine ad eiusmodi patranda compelli.

17. Ex quibus id deniq; conficitur, SS. Sacramentum quod Augustæ apud S. Crucem, supra quadringentos quadraginta annos, religiosè asseruatur, verè miraculosum esse ac censeri; etsi Angeli, sanguinis carnisque formam, applicando actiua passiuis, quod ipsis facillimū est, induxerint, & non ipse Deus immediatè, aut solus id egerit.


18. Vnde vterius sequitur esse verum miraculum,  
 quar-

quarti gradus; non quidem secundum se, sed ex prouidentia Dei, qui Angelorum ministerio illud effecit vltro, ad veræ Religionis, & articulorum de SS. Eucharistiâ confirmationem; huncque sensum fidelium, per tot secula maximis prodigiis & miraculis aluit; & hucusque in piorum mentibus conseruauit Qui fide Christi Sacramentaliter præsentis, innumera à Deo beneficia postulârunt, neque ab alio quàm à Christo, in Sacrà illâ hostiâ perdurante, se accepisse credunt. Hos autem in re, diuinam gloriam vel maximè concernente, falli ac deludi, diuinæ prouidentia, & bonitati, vti existimamus, plurimum repugnat.

## CAPVT II.

*Quomodo eadem Apparitiones sub peregrinis formis, faciant ad bonos & Christianos mores.*

*Docent non abutendum Sacramento Eucharistia; Sacriligia cauenda, vt qua Deum habeant vltorem;*  
*Non cum conscientia peccati illud accipiendum; Magnam vim esse orationis; Placere Deo renuntiationem mundi;*  
*Nullâ irreuerentiâ accipiendum; di;*  
*Suum illi honorem deferendum; Deo nihil esse occultum. &c.*

I.  Vemadmodum dictum est præcedenti capite, fidei negotium miris, insolitis, & prodigiosis rebus agi, incrementa sumere; conseruari, confirmari; ita dubium

Q 2

non



non est, easdem ad morum facere compositionem, & vitam Christianam piè, feliciterque transigendam.

1. Exempla huius, suppeditat & vetus, & nouum, Testamentum. Heliodorus sacrilegus Dei contemptor, & templorum profanator, postquam ab inuiso equite, aliisque duobus ignotis iuuenibus, egregiè verberibus fuit exceptus, testabatur, vt loquitur, 2. Macchab. liber c. 3. omnibus operâ Dei magna, censebátque, si quis secundò à rege Antiocho mitteretur, hostem ipsius Hierosolymam mittendum, fore vt egregiè flagellatum reciperet. Et apud Lucam, nouo prodigiosoque genere, existimabat diues Epulo, fratres suos ad pœnitentiam adducendos. Si quis, inquit, ex mortuis resurrexerit, credent.

3. Et virtutem obedientiæ, per insolitas inusitatâsque res atque miracula, intellexerunt Maurus S. Benedicti discipulus; alius quidam ille, quando lacum ingressus est mandato superioris, & non mersus, teste B. Greg. 1. 2. Dialog. c. 7. hic quando à superiore iussus, lænam ad se adducere illam cepit, atque adduxit. In vitis Patrum, 2. p. l. de Obedientiâ.

4. Et quid in sanctos blasphemum sit, simili argumentorum genere, id est insolito atque prodigioso, facile est docere, vt & in aliis rebus pluribus. Vt omnino crediderim, res insolitas atque miracula, quæque diuinitus immittuntur, valere ad fidem non solum suscipiendam, atque confirmandam, verum etiam ad mores informandos. Hoc est docere, & quanto studio bona sint complectenda, & quanto conatu, à malis atq; peccatis declinandum.

5. An quoque insolitæ nostræ Apparitiones Christi,  
sub

sub speciebus peregrinis in Eucharistiæ Sacramento, hic aliquid possunt? Possunt plurimum. Nam & olim profuerunt illis, quibus acciderunt; & iam profunt nobis, qui factas memoriâ repetimus, easdemque diligentius inspiciamus; quam etiam ob causam, Deo autore illas perfectas esse, non dubitamus.

6. Profuerunt autem olim, iamque adhuc profunt solâ sui recordatione, ad plurima, de quibus homines utiliter Deus vult esse admonitos. Quæ partim in malorum, consistunt fugâ, partim in exercitio Christianarum virtutum, quorum aliqua referemus.

7. Primum ergo fit non abutendum esse SS. Eucharistiæ Sacramento; neque illud in profanos atque impios usus conuertendum. An non hoc præclare, & clarè insinuat hostia, quæ in aluearium coniecta, mutata est in faciem pueri? de quâ p. 1. c. 1. n. 3. Altera item, quæ mediâ sui parte, carnem retulit, alterâ parte panis speciem retinente? de quâ ibid. n. 14. Et tertia, quæ in prunas coniecta sanguine fluxit, verâque caro est visa, de quâ, ib. n. 16.

8. Secundum est, cauendum esse, ne cum conscientia peccati mortalis, Eucharistia accipiatur. Huius quidem seriò grauitérque, nos admonet S. Paulus; magnitudinémque peccati demonstrat, & ex subsequentibus pœnis, & ex dignitate Sacramenti. Sed non minùs apertè ostendunt hoc, prodigiosæ hæ Apparitiones iis factæ, qui Sacramenta indignè accipere voluerunt. Qualis fuit inter alios Sacerdos impuræ vitæ, cuius mentio fit in vitâ Hugonis Linconiensis; qui fractâ à se in Missæ sacrificio hostiâ, sanguinem vidit defluere. Quid enim homo, alio-

Q 3

qui

qui de Catholicâ religione bene sentiens, aliud potuit suspicari, quàm prodigio hoc temerariam suam audaciam damnari, & admoneri se, sancta sanctè tractanda esse?

9. Tertium est, curandum esse seriò, ne post accepta & sumpta Sacramenta, Eucharistiæ vlla fiat irreuerentia. Hanc rationem puto valuisse in Apparitione, quâ puer est visus Colonia; postquam vt refertur, quidam post Sacramenti sumptionem, mox ad profanos cibos est conuersus, atque ita se infarciuit, vt per vomitum Sacramentum reddere fuerit coactus.

10. Quartum potest esse, reuerenter Sacramentum esse conseruandum, nec permittendum, vt ipsi suus desit honor, sed maximè, ne sordidè tractetur & habeatur. An non huius debuit admonere hostia Duacensis, quæ in terram ceciderat; & inde primùm Angelorum manibus in altari reposita, deinde mox retulit faciem speciosissimi infantis? Eiusdem admonent suâ præsentia Angeli, quos altaris sacrificio adorabundos adstitisse, testatur B. Chrysofost. l. 6. de Sacerdotio. Eius hæc est oratio. Ego commemorantem olim quendam audiui, cum diceret senem, quendam admirabilem virum, ac cui reuelationum mysteria multa, fuissent diuinitus detecta, sibi narrasse, se tali visione à Deo dignum olim habitum esse; ac per illud tempus (sacrificij intellige,) de repente angelorum multitudinem conspexisse, fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, denique sic capite inclinatorum; vt si quis milites præsentem rege stantes videat. Ità B. Chrysofost.

11. Quintum est, Deum vindicem seuerum esse sacri

facrilegorum; ideoque omnibus modis sacrilegia, & quidquid ad contemptum diuini nominis facit, declinandum esse. Docent hoc Apparitiones, quæ sacrilegis Iudæis in Eucharistiam sacratissimam barbarico furore debacchantibus, magnâ cum ipsorum confusione sunt factæ, quas nos recensuimus, p. I. c. I. n. 10. 11. 12. 13. Facit & huc, quod Optat. Milleuit. de Donatistis refert, qui à canibus dilacerati sunt, quibus impiè sacram hostiam obiecerant. Vide Bredenbachium, l. 1. collat. & Optat. l. 2. contra Parmen.

12. His accedit, quod hinc etiam colligi possit, quanta sit vis atque præstantia orationis, eius videlicet, quæ cum studio proximi salutem promouendi, est cõiuncta. Quamuis enim hæc etiam cognoscantur ex aliis rebus naturæ vires superantibus, quæ oratione ad Deum factâ obtentæ sunt: eius tamen in his Apparitionibus argumentum dari, docet oratio B. Gregorij, vota sua coniungentis cum votis populi. Nam illius, populique precibus hostia creditur in carnem conuersa; deinde rursus repetitâ oratione rediisse in pristinam formam. Vide p. I. c. I.

13. Accedit & illud, quod magnum sint argumentum, egregièque doceant, rem esse præclaram, Deoque grauissimam, abdicatis negotiis & curis secularibus, totum se diuinis seruitiis mancipare. Itaque facilè Apparitionis Sacramentalis capax, & particeps fuit Plegilus, qui ab ineunte ætate diuinis legibus imbutus, & propter amorem Dei omnia relinquens quemadmodum vnum quæsiuit Christum, ita Christum meruit in Sacramento, sub pueri formâ videre. De hoc quoque, l. c. n. 8.

14. Atque

14. Atque omnia hæc, Deo in his Apparitionibus potuerunt esse proposita. Omitto, quod eadem mortales moneant, Deo nihil occultum, & videre ipsum non opera nostra tantum, sed internas quoque cogitationes, latentisque in recessibus animarum maculas, & fordes peccatorum. Rursus summam Dei docere bonitatem, atque clementiam, qui tam efficacibus rationibus indignos mortales, ad saniora consilia, cogitationesque reuocat. Rursus demonstrare, eundem non impotentem esse, quamuis etiam sæpe grauissima mortalium peccata dissimulet, & se de inimicis facile, si vellet, posset vindicare. Hæc hisque similia omitto, quæ quiuis haud difficulter hinc potest intelligere.

## CAPVT III.

*Quod, & quomodo ad consolationem piorum,  
& Christi amantium, faciant Apparitiones  
Sacramentales, sub peregrinâ  
specie.*

<i>Facere, dubium esse non potest.</i>	<i>Non datur piis hæc ratione, causa</i>
<i>Quia in quibusdam non potuit aliud propositum Deo fuisse.</i>	<i>superbiendi.</i>
<i>Idem insinuant diuina promissiones;</i>	<i>Quin potius hinc proficiant in gratitudine;</i>
<i>Idem modus agendi Dei, cum improbis;</i>	<i>In studio Christianarum virtutum;</i>
<i>Idem reuelationes piis facta;</i>	<i>Deumque sibi nouis rationibus denunciant.</i>

I. Pro

1. **D**RO Consolatione proborum, Christum-  
que amantium & desiderantium, etiam  
has Apparitiones diuinitus esse promissas  
atque concessas, docent quidam; atque  
inter illos Algerus, l. 1. de hoc Sacramento, c. 3. & Paschas.  
lib. de corp. & sang. Domini c. 14. Et demonstrari potest  
exemplis Plegili, atque S. Mariæ Oegniacensis. Verum,  
quoniam hoc quidam vix credunt, hoc capite docebitur  
& factum esse, & conuenienter meritoque factum esse,  
fierique adhuc posse.

2. Et factum quidem esse, haud obscure colligitur  
exemplo Plegili, qui hanc sibi contingere Apparitionem &  
petiit, & obtinuit, quemadmodum refert Paschasius. Quid  
enim aliud in Apparitione ipsi factâ, Deo propositum esse  
potuit? An fortè, quæ in alijs Apparitionibus, hinc eum  
rationes mouere potuerunt? Nullam illarum hinc locum  
habuisse, non malè dixeris.

3. Non ad fidem religionemque Christianam, hanc  
Apparitione adducendus erat Plegilus, quemadmodum  
adducendus Windekindus apud Krantium, & Hebræus  
apud Amphilochium. Iam dudum ab ineunte ætate,  
Christianæ religionis mysterijs fuerat imbutus.

4. Non erat in fide semel susceptâ, confirmandus,  
quemadmodum confirmandi, qui aut de veritate corpo-  
ris Christi in Sacramento dubitârunt, aut dubium habue-  
runt animum de transubstantiatione elementorum. Du-  
bium animum in huius Sacramenti mysterijs non habuit  
Plegilus; nec dubium sine peccato habere potuisset.

5. Forsitan à vitijs sic erat auocandus, quibus in-

R

Eu-

Eucharistiam fuit iniurius, quia scilicet aut indignè Sacramenta accessit; aut non in debito honore ea habuit; aut irreuerentiùs tractavit. De nullo horum in suspensionem venit vnquam Plegilus.

6. An fortassis debuit hâc ratione ad studium virtutis prouocari? At ab hoc studio plurimùm commendatur.

7. Debuit scilicet vim orationis intelligere; & ob id permiffa & cōcessa est Apparitio. At eandem probè cognouerat, ex infinitis propemodum veteris nouique Testamenti exemplis, Christi que egregiis promissionibus; & quia magnam eius vim esse credidit, magnam rem, hanc inquam Apparitionem, petere à Deo ausus fuit.

8. Ergo quam oratione ad Deum factâ obtinuit, eandem vitæ innocentiam atque integritate quasi meruit; permiffaque illi est Apparitio, pro animi sui consolatione, spiritualique gaudio, vt bene docent, quos initio produximus. Algerus & Paschasius.

9. Hinc est, quod voti compos factus, & præsentem Christum iam sub specie infantis habens, se quasi effuderit, & gaudij sui atque consolationis spiritualis egregia argumenta dederit, imitatus Simeonem illum Evangelicum, cuius laus est apud S. Lucam c. i. puerum conrectârît, complexus, osculatus sit, & vbi pietati suæ satisfecit, quemadmodum Simeon matri, ita ipse altari, Dominum reddiderit, rogârîtque pristinae formæ Sacramentum restitui.

10. Quod de Plegilo docemus, in alijs quoque, in quibus eadem rationes, quæ in hoc valent, locum habere

bere credimus. Verùm quidquid sit vel de hoc, vel de alijs, dubitare rectè non potest homo Christianus, quàm hæc res de earum genere sit, quæ fieri facillimè possunt, & quas Deus fieri iustissimè potest velle. Quod breuiter docemus sequentibus.

11. Primùm neminem latet, Deum singularibus beneficijs prosequi singulares suos amicos; & eos præ reliquis, quibus vt cum Deo sint coniunctissimi, præcipuum est studium. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, inquit Dominus Ioan. 12. & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, &c. & 1. Reg. 2. qui honorificauerit me, glorificabo eum. Sed egregiè, prolixèque id demonstrat Psal. 90. Qui habitat in adiutorio altissimi, &c. Cur non igitur eosdem hæc Apparitione dignabitur.?

12. An fortè maius præmium atque merces hæc Apparitio est, quàm vilius hominis possit esse meritum. ? At non mercedis aut præmij loco ipsa conceditur, sed in signum amoris, quo diligentes se prosequitur. Et si ministros Christi Pater honorificat in cælis atque terris, multò maioribus bonis, quàm visio hæc esse possit, ad illam, quæ minus bonum est, nunquam admittet.?

13. Nec est, quod quis vereatur superbiendi, atque se erigendi occasionem hominibus hæc ratione dari; aut sic facilè induci posse mortales, vt de se multùm præsumant, se sanctos & iustos credant. Non certa sanctitatis probitatisque sunt argumenta, hæc quæ conceduntur, Apparitiones; etiam impijs hominibus sunt cõmunes, quemadmodum exempla 1. c. 1. p. docent.

R 2

14. Quid,



14. Quid, quod pijs hominibus incitamenta sunt, ad gratiarum actionem Deo reddendam? ad maiores etiam progressus in studio virtutum faciendos? Neque enim non possunt intelligere, quod quò pluribus à Deo beneficijs ornantur, eò magis vrgeantur debito gratiarum actionis, studijque virtutum; ne si acceptis beneficijs sint ingrati, accipiendis in posterum inueniantur indigni.

15. Quod si Deus, quam rationem seruat cum impijs, eandem seruat (seruare autem in hoc quis negabit?) cum probis & iustis, facilius credetur has Apparitiones quandoque SS. hominibus accidere. Illorum infernus quandoque in hanc vitam incipit, ergo & horum quandoque in hanc vitam cælum siue felicitatis aliqua species. Iam verò visio Dei felicitas perfecta est, huius felicitatis species, seu umbra quædam, erit Apparitio hæc Christi in hanc vitam.

16. Et facilius creditu est, has Apparitiones Sanctis hominibus pro ipsorum consolatione concedi, quò pluribus exemplis constat, easdem diuinis reuelationibus illustrari, & illustratos esse. De Apostolo Paulo manifestum est, quot, quantisque reuelationibus diuinitus fuerit cumulatus. Nota est ipsius Confessio: Raptus sum in tertium cælum, &c. Habuit & suas in Apostolorum Actis S. Petrus. Quin vix in Apostolorum vllò, eas desideramus.

17. Sunt & alij Sancti hoc nomine celebres, partim in veteri, partim in nouâ Lege; & quidem in vtroque sexu. Quemadmodum in fæminino sexu sunt S. Angela Bohema; S. Brigitta Sueca vidua; S. Brigido virgo Scota; S. Gertrudis Brabanta; S. Hildegardis; S. Catharina Senensis.

18. Nec

18. Nec est, quod quis dicat de diuinis rebus hos institutos fuisse, per reuelationes diuinitus factas, Christum ipsis se non exhibuisse. Quid enim interest, Christum per reuelationes videas, an res arcanas, diuináque? Et quid si, qui de rebus arcanis instituti sunt, eos Christum quandoque vidisse dicamus? De Apostolis hoc pluribus exemplis doceri potest.

19. Sed fuerint reuelationes Sanctis hominibus factæ, absque exhibitione Christi; profectò negari non debet, Christum sæpe Sanctis hominibus se exhibuisse; nunc somno occupatis, nunc etiam vigilantibus. Docet hoc liber de Christi Apparitionibus Impersonalibus. Et qui extra Sacramentum sæpissimè apparuit, & se exhibuit, an huic prohibitum erit, ne appareat in Sacramento?

## CAPVT IV.

*Quod Deus quandoque voluerit accidere has  
Apparitiones, ad confundendos hostes  
Christiana Religionis.*

*Solet enim hand rarò confundere  
contrarios Christo*

*In propriâ personâ;*

*Item in suis membris;*

*In suis imaginibus;*

*In rebus ad cultum Christi pertinentibus;*

*In mandatis ab ipso datis;*

*Et fuisse etiam in quibusdam Ap-*

*paritionibus Deo propositam,  
confusionem quorundam,  
probant facta Iudæis aliqui-*

*bus neq, profuerunt ad fidem  
amplectendam, & confir-*

*mandam;*

*Neq, ad Christianos mores;*

*Neq, ad spiritualem consolationem.*

R 3

I, Di-

I. **D**Vrum est tibi contra stimulum calcitrare. Ita ad Saulum Tarsensem de cælo Dominus, Actor. 9. quando ille spirans minarum & cædis, profectus Damascum, ut si quos eius viæ viros ac mulieres inueniret, perduceret Hierusalem. Significat verò frustra labores suscipere, seque confundere, imò sibi obesse, & detrimenta potius quàm lucra reportare eos, qui prauo & peruerso studio se ipsi opponunt; quemadmodum qui contra stimulum calcitrant, potius læduntur, quàm lædunt.

2. Atque ità fanè vt plurimùm accidit. Confusionem, si non quid deterius, reportarunt, qui quouis modo Christo contrarij fuerunt, vel in se, vel in suis, vel in ipsius imaginibus, vel in rebus ad ipsius cultum pertinentibus, vel etiam in contemptu atque negligentia ipsius mandatorum. Quemadmodum omnibus his modis contra stimulum quasi contingit calcitrare, ita in omnibus lædi atque confundi.

3. In proprio corpore, atque adeò propria personâ ipsi contrarij fuerunt Iudæi, cum olim in terra cōmunem nobiscum vitam ageret. Hos nunc ipse verbis perstrinxit; nunc ex manibus eorum dilapsus; nunc etiam in cruce pendens, accersitis pro se quasi omnibus elementis, & à fide verâ alienis hominibus, confudit, & toti mundo fecit contemptibiles.

4. Contrarius ipsi, in sibi deuotis Christianis fuit Saulus, vt diximus. Et qui non nisi minas & cædes spirabat, voce diuinitus admonitus atque in terram prostratus, in hanc humilitate plenissimam vocem, erupit, Domine  
quid

quid me vis facere? ab illóque tempore tanto constantiùs, pertinaciùsque Christi gloriam cœpit defendere, quanto maiori cum furore, & barbarie eandem locis omnibus volebat esse proscriptam.

5. Contra Christi imagines quidam fuerunt insolentiores; nihil verò præter confusionem, perpetuamque ignominiam reportârunt. Refert Greg. Turonens. l. 1. c. 22. de gloriâ Martyrum, fuisse Iudæum, qui in Christi imaginem sæuijt, illámque telo transfodit; in imagine impiæ voluntatis suæ argumenta daturus, quæ in Christo ipso libenter exercuisset. Sed sanguine ex imagine profluente, primùm confusus est; deinde proditus & lapidum turbine oppressus à Christianis, miseram animam efflauit. Similia exempla plura ex varijs autoribus, collegit Bredembachius, l. 3. Collationum.

6. Apertè Christi regni, rerúmque ad Christi religionem cultúmque pertinentium, se publicum hostem professus est Iulianus Apostata. Sed quantâ cum sui ignominiâ, dedecore, confusione? Ipse se à Galilæo (Christo) victum esse, animam expirans blasphemus ore confessus est. Occisus fuit incerti spiculo, & diuina visio prius ostensa S. Blasio; cui cum B. Virgine S. Mercurius apparuit, & discedens, & cruentam hastam referens, quemadmodum ex Helladio D. Basilij discipulo docuit Damasc. lib. de imaginibus. Vide Sozomenum l. 6. c. 2. & Niceph. l. 10. c. 35.

7. Neque tuti fuerunt, qui non ità potenter in Christum sæuierunt; sed tamen hoc ipso contra eundem calcitrâsse dici possunt, quod legibus ab ipso latis aut restite-

runt,

runt, aut non satisfecerunt. Volebat Dominus, vt quæ gratis sui accepissent, gratis darent. Id non attendens Simon Magus, cum per impositionem manus Apostolorum, obseruaret dari Spiritum sanctum, petit & hanc sibi tradi potestatem, non leui pecuniæ summâ, Apostolis oblatâ. Quid verò in Christi personâ Petrus? Pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem.

8. Hæc cum ita sint, non mirum cuiquam videri debet, si & ijs se Christus opponat, eos egregiè confundat, qui in SS. Sacramentum Eucharistiæ, in quo verè, realitèrque Christi corpus est atque sanguis, sunt sacrilegi; & quam Christo in propriâ personâ optarent, hanc eidem in SS. Sacramento irrogant contumeliam. In quorum genere complures Iudæi fuerunt, quorum p. 1. c. 1. n. 10. 11. 12. 13. mentionem facimus.

9. Sed egregiè ipsos in hoc Sacramento Christus confundit. Credebant Christum non esse Deum; vnde per summam contumeliam obiiciebant, si Christianorum esset Deus, se ostenderet in nomine mille Diabolorum. Quid verò? Mox ad impiam vocem hostia sanguine fluxit, magno Christi diuinitatis argumento. Volebant nequitiarum & sacrilegia esse occultissima; ipse verò effecit, vt in omnium essent oculis, & ad posterorum venirent memoriam. Omnem illi Christo subtractum cupiebant esse honorem; Christus suum honorem ijs ipsis hostijs promouit & promouet, quibus illi quam potuerunt, intulerunt iniuriam. Volebant de Christo in hostijs, quasi vindictam sumere; Christus ex iisdem hostijs se quasi vltiscitur, quando effuso sanguine eorum scelus prodit, & in Magistra-

gistratum potestatem tradit, extremis supplicijs excruciantos.

10. Atque hic etiam vnus est finium, qui Christo in his Apparitionibus, sub peregrinâ specie in Sacramento propositi fuerunt; vt ob id dici & credi debeat, quemadmodum illæ valent ad fidem persuadendam & cõfirmandam; ad mores Christianos formandos; ad piorum, Christo deuotorum consolationem, ità & valere ad quorundam refractariorum confusionem.

11. Neque enim de hoc rectè dubitabitur. Quorsum enim hæ Apparitiones, inter priuatos sacrilegorum Iudæorum parietes, apud Christi, Christianorùmque coniu-ratissimos hostes? vbi ipsis hisce Apparitionibus prodigiosis, spectatores facti sunt deteriores? quorsum inquam, esse potuerunt?

12. Non his fides Christiana erat persuadenda apud eos, apud quos Prophetarum vaticinia nihil profecerunt. Nec erant in fide confirmandi, qui fidem Christi omnibus modis oppugnabant.

13. Nec erant his ad saniora consilia vocandi; à fugâ vitiorum, ad studia virtutum. Quoniam vbi fidei iacta fundamenta non sunt, vt apud Iudæos non erant, parum profunt ad æternam vitam, aut vitiorum fuga, aut studium exercitiõque virtutum.

14. Consolatione spiritali quis dignos censeat? Hæc Deus in virtutum studio exercitatissimos, & quibus frequens est de diuinis rebus meditatio, dignatur. Quid horum in perfidis Iudæis, qui hostili furiosoque animo Sacramenta aggrediebantur, & prodigijs terri animos in

S

nequi-

nequitiâ confirmabant? & non minora bella contra conscientiam sceleris testem, quàm ipsum Sacramentum gesserunt?

15. Maneat igitur, ad ipsorum confusionem Deum voluisse, has ipsis valere Apparitiones. Et quemadmodum vltus est eos, qui in se, suas imagines, sibi deuotos, suas leges atque sua sacra iniuriosi fuerunt, ita hifce Apparitionibus, iustissimam indignationem voluit demonstrare Iudæis, cum summâ ipsorum confusione.

## CAPVT V.

*Quidnam demonibus propositum sit, quando similibus Apparitionibus homines dementant.*

*Proposita est hominum pernicies. Complacentiam sui excitat facile, non salus;*

*Et vtuntur ad id mediis illi conuenientibus. magnitudo siue dignitas Apparitionis, eiusdem queraritas.*

*Hic ipsis plurimum seruit complacentia sui. Hinc ardua solet Deus adiungere reuelationibus;*

*Præsens animarum periculum, ob Et Sancti easdem deprecari, aut superbiam & contemptum aliorum &c. ceriè non expetere solent, &c.*

1.



Via non solùm à Deo sunt nostræ, de quibus agimus Apparitiones Sacramentales sub peregrinis speciebus; verùm etiam quandòque dæmones habere possunt auctores;

tiores idcirco, quid & ipsis in his propositum sit, est aperiendum, ut perfecta sit, quam damus, de his Apparitionibus tractatio.

2. Certum verò illud est, aliud Dæmonibus, aliud Deo propositum esse. Contraria sunt eorum studia; Dei studium est operâ Dæmonum dissoluere, horum euertere ciuitatem Dei, atque altare contra altare erigere. Quocirca cum in rebus omnibus Deus mortalium salutem quærat, illorum interitum, non salutem quærunt Dæmones; ut idcirco optimè ipsos leonibus rugientibus comparet Apostolus, qui circumeundo quærant, quos deuorent.

3. Sed vltimus ille finis Dei est; & vltimus hic Diabolorum. Inter medios & hunc quasi antecedentes alios habet Deus; quibus dum insistent mortales, feliciter ad illum vltimum perueniunt. Qui in his Apparitionibus plerique illorum sunt, quos præcedentibus Capitibus, diximus Deo propositos fuisse; scilicet in fide Christianâ institutionem, & confirmationem, bonorum morum formationem, & animorum recreationem, consolationem, &c.

4. Et præter vltimum illum (hominum interitum, & perniciem) alios habent dæmones, quibus tanquam medijs ad extremum mortales deducunt. Qui, quemadmodum vltimus Dei finis, vltimo ipsorum contrarius est; ita hi tanquam ad vltimum præcursores, illis intermedijs Dei sunt contrarij.

5. Quocirca dæmonibus propositum non est, homines (quibus hisce Apparitionibus illudunt) in fide in-



fituere, aut ad bonos mores inducere, aut spirituali voluptate animos afficere. Hæc Deus quærit; illorum fini ista non seruiunt; aliud quærunt. Et quid illud?

6. Vno verbo dixerim Complacentiam sui. Hoc primùm intendunt versipelles, vt eorum mentes, quos Apparitionibus hisce fascinant, ad sibi complacendum, inducant. Quod vt credam, duabus rationibus persuadeor. Altera est, quod hæc re præsens animarum periculum afferatur; altera, quod ad hanc in animis hominum generandam, plurimùm hæ Apparitiones facere posse existimentur. Vtrumque sequentibus docendum est.

7. Et prius illud fructus docent, qui cum sui complacentiâ sunt coniuncti; pauci quidem, verumtamen, fœcundi, plurimùmque perniciosi. Sunt illi vt plurimùm, superbia atque aliorum contemptus, perniciosâ progenie abundantes.

8. Ex superbiâ præsumptio est, quâ proprijs meritis existimantur possideri, quæ diuinitus possidentur. Hanc sequitur ingratitude, bestia Deo hominibusque inuisa. Cui enim gratiarum actionem referes, si pro quo gratias agas, non inuenias? Et quid inuenies, si tuis meritis omnia te habere persuasus es? Cum ingratitude vt plurimùm coniuncta est impudentia, quæ honorem reuerentiâque Dei tollit; cui tamen etiam à Sanctissimis, cum horrore & tremore seruiendum est.

9. Contemptus aliorum, tollit tantopere commendatam, atque prorsus in Christianâ Republicâ necessariam obedientiam. Qui enim sibi placent, quia se cæteris vel meliores, vel doctiores existimant, aliorum imperia non ad-

admittunt; & sua iudicio aliorum præferunt, ità sua putant præcedere debere, imperata & consilia.

10. Quàm verò perniciosæ sunt hæ pestes? præsumptio, ingratitude, impudentia, inobedientia? Quot his machinis ex arce virtutis, ad quam humilitatis gradibus sancti homines ascenderunt, præcipites acti sunt? quot, & quantis extrema allata calamitas? Exemplis abundamus; sed breuitatis studiosi, ad id quod restat, accedimus, docemúsque has Apparitiones, ad sui complacentiam hominum animis inferendam, plurimùm dæmonibus seruire posse.

11. Id dignitas atque magnitudo ipsarum Apparitionum, earundémque raritas probat. Quanta quæso res est, Christum Filium Dei sub humanâ specie, aut certè peregrinâ carnis, quæ alioqui verè in Sacramento latet, conspicerè? Et cum visio hæc paucis admodum contingat, quàm facilè sibi complacebit homo, si hæc se visione, præcæteris à Deo dignari animaduertat? præsertim si studium virtutum præcesserit, & propter illas visio dari credatur.

12. Multa sunt, quæ hominum animos erigunt, & vt sibi complaceant, efficiunt, sed inter multa vix quidquam facilius, potentiúsque, quàm bonorum diuinitus acceptorum æstimatio. Cum enim fomentum complacentiæ sit bonorum possessio, quò maiora bona fuerint eò maior materia complacentiæ data videtur. Inter bona verò, quæ nam maiora sunt, quàm quæ diuinitus dantur? & intuitu virtutis dari creduntur, vt creduntur hæ Apparitiones?

13. Hinc & Apostolo Paulo frænnum iniectum fuit;

vt quantum ex horum bonorum possessione possēt dissolvi, tantum aduersantis mali fræno contineretur; & ex hoc tantum animus deprimeretur, quantum ex illo possēt eleuari. Ne magnitudo inquit, reuelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. 2. Cor. 12.

14. Hinc quoque esse dicam, vt qui solidis semper virtutibus institerunt, tantum abest, vt has similésque visiones à Deo expetierint, vt etiam oblatas difficulter admiserint, maluerintque potius ijs carere, quam cum periculo aliquo sanctæ humilitatis, potiri & frui. De S. Coletà Virgine legimus, quod Deo multa ei secreta reuelare volenti responderit: Domine Deus sufficit mihi te solum cognoscere, & peccata mea, eorùmque abs te veniam obtinere. Sic Stephanus Iulianus in eius vitâ cap. 5.

15. Fuerunt alij, qui quando eadem illis diuinitus sunt oblatae, ne hoc nomine ab alijs suspicerentur, atque ita gemino quasi laqueo, diuini scilicet fauoris, & humani applausus irretirentur, eas apud se summo silentio continuerunt; & diligenter ne ad aliorum notitiam peruenirent, ad laborârunt. Hoc nomine commendatur S. Hildegardis, quæ vix Superiorum iussu induci potuit, vt suas proderet; nec inducta fuit donec Eugenius Pontifex, eam ad reuelationes suas scribendas animauit, quemadmodum testatur in eius vitâ, l. 1. c. 4. Theodoricus Abbas. Sic Arsenius nullas sibi factas, nisi aliorum posceret vtilitas, narrabat; & tum narrabat, quasi alteri, non sibi accidissent. itâ Metaphrastes in eius vitâ. Ad rem nostram, nostrasque Apparitiones magis accedit studium Libuinæ.

Huic

Huic enim, cum Christus vigilanti apparens, quinque vulnerum suorum signa luculenter impressa reliquisset; & cerneret virgo tam hiantia vulnera latere non posse; timeretque concursum & applausum hominum, sic Deum deprecata scribitur: Maneat obsecro Domine, hoc dignationis Sacramentum inter me & te; sufficit enim mihi gratia tua. Hoc Ioan. Brugmannus in eius vitâ. p. 2. c. 8.

16. Aliqui qui huius silentij non tantam rationem habuerunt, aliquid humanitus sunt passi. Cognouit id, cuius iam mentionem fecimus, S. Libuina; diuinitus enim edocta, intellexit quendam solitum Reuelationes suas narrare, & quod facile accidit, narrationis calore quædam de suo adijcere, idcirco pœnis purgatorij addictum esse. Et hoc Brugmannus.

17. Quid? quod horum nomine, quidam in sole scere ceperunt, eoque arrogantia venerunt, ut primùm quidem fructus bonorum operum, quæ multis magnisque laboribus sibi comparassent, iacturam fecerint; deinde ad miserrimas vitæ conditiones peruenerint; illaque tentarint, quæ & humanis & diuinis legibus essent contraria. Exemplo hic est Magdalena de la Cruz Cordubæ, quæ eo progressa est, ut solenni ritu ( quasi per eam Christo loquente ) hostiam incruentam, prolatis verbis Canonis consecrare auderet. de quâ Ribadeneira l. 1. vitæ S. Ignatij, c. 10. Sed ipsarum specierum peregrinarum particularium fines inuestigamus.

*Inquiruntur caussa & rationes formarum,  
peregrinarum, sub quibus Christus, creditur  
exhibitus in Sacramento.*

<i>Vna omnibus est communis, Dei voluntas;</i>	<i>Et quia caro ipsius est cibus hic, Sanguinis, eadem rationes;</i>
<i>Propria alia &amp; alia.</i>	<i>Et quia Sanguis in utrâque specie datur.</i>
<i>Crucifixi ratio, memoria passionis;</i>	<i>Manus, Christi in Sacramento Potentia.</i>
<i>Pueri, exiguitas specierum;</i>	<i>Agni, illud: ecce agnus Dei.</i>
<i>Innocentia Christi;</i>	<i>Et quia ipse agnus occisus ab origine mundi.</i>
<i>Castitas eiusdem.</i>	
<i>Faciei, Christi presentia;</i>	
<i>Carnis, Christi item presentia;</i>	

I. **I**N genere fines Apparitionum Christi, in Venerabili Sacramento sub peregrinis speciebus exposuimus. Restat fines, siue rationes vt scrutemur, cur has potius, quàm illas formas assumpserit; & videri voluerit, nunc sub specie hominis, siue Crucifixi, siue infantis; nunc partium hominis, faciei, carnis, sanguinis, manus; nunc quoque agnelli. Nam quemadmodum sine ratione, sub peregrina specie non apparuit, ita sine ratione, sub hac, vel illâ specie non apparuit.

2. Fuit quidem vna in omnibus ratio, voluntas diuina; quâ vt apparere voluit, ita potuit sub quâ voluit, formâ apparere. Verumtamen quia sine magno consilio agit nihil, ita sine consilio, hic vel minimum voluisse qui cre-

credit, dubito vtrum Christo iniuriam non faciat. Ergo quæ causæ sunt talium specierum, & formarum? Quantum ratione consequi possumus, dicimus.

3. Crucifixi forma exhibita est, vt cuius Sacramenta tractarentur, doceretur. Illius videlicet, qui crucem, pro hominum genere sustinuisset; & hoc Sacramentum in memoriam Passionis suæ atque Crucis, peragi inter fideles instituisset. Fortè & sic Christi Passio in memoriam, erat reuocanda; certè illam reuocandam in vsu huius Sacramenti, & Dominus insinuat Matth. 26. & explicat, egregiè S. Paulus dicens: Hæc quotiescunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis. 1. Cor. 12.

4. Puer exhibitus, fortè respondit speciebus Sacramentalibus, quæ magnæ esse non solent, & facilius infantem, quàm virum referunt. Fortè & pudicitæ, castitatis atque innocentæ Christi, qui sub Sacramento continetur, argumentum est. Posterius hoc non displicet, prius magis placet. Amica quoque magis est pueri, quàm viri forma.

5. Facies hominem prodit; ergo facies exhibita in Sacramento; hoc fine exhibita est, vt Christum prodat, qui sub Sacramento latet. Hinc est, vt non qualemcunque faciem, sed talem qualis Christi fuisse creditur, exhibitam existimem. Ostenduntur & in Franconiâ prodigiosæ quædam facies in Corporali vt vocamus, ex effuso sanguine dominico contractæ; quæ quod dicimus, eo ipso confirmant, quòd Christi coronatam faciem referant.

6. Carnis exhibitæ, nescio vtrum alia causa de-

T

tur,

tur, quàm quod solam Christi præsentiam testetur. Nisi fortè huius ratio dicatur illud; Caro mea verè est cibus. Ioan. 6. hoc enim de Sacramento intelligi, nõrunt docti.

7. Idem dici potest de specie sanguinis. Nam & sanguinis Christus meminit, & sanguis Christi in Sacramento est præsens. Sunt etiam qui credant hoc insinuari, non abesse à Sacramento verum Christi sanguinem. Sed hæc ratio tantum locum habet, quando sanguis ex hostiã defluxit non quando in calice deprehensus est.

8. Manus, cuius indicium fuerit, difficulter dixeris. Potentiæ alioqui, atque virtutis esse symbolum, notârunt multi; & multa docent Sacrarum Scripturarum loca. Vtrum hic sit, incertum est; hoc certum, singularem Christi potentiam, in Sacramento multis argumentis demonstrari.

9. Agnus, suspicor alludit ad illud Ioan. 1. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et profectò egregiè conuenit cum Sacramento, in quo Agni ab origine mundi occisi, sanguis pro mundi peccatis offertur. Hæc breuiter.

## P A R S V.

De vsu specierum Sacramentalium peregrinarum, sub quibus Christus creditur apparuisse.

**D**uplicem harum specierum usum distinguere possumus. Vnus ad sumptionem pertinet: alter in cultu & honore iis deferendo consistit. Ibi quaeritur, utrum haec species, in quas Sacramentum conuertitur, sumi possint, vel debeant; hic utrum cultus iis aliquis, siue veneratio tribuenda sit. Vtrumq; breuissimè ultimà hanc tractatus parte expediendum est.

## CAPVT I.

*Quid sentiendum de sumptione specierum peregrinarum, in Sacramento Eucharistiae?*

<i>Si post peregrinas depositas, redeant Sacramentales, ille sumenda sunt.</i>	<i>cessitas incumbit easdem sumendi;</i>
<i>Quid enim Sumptionem hinc prohibet?</i>	<i>Nec quidem Sacerdoti celebranti; Eidem nec incumbit nouam consecrationem instituere, ut perfectum absoluat Sacrificium.</i>
<i>Quid quod lex sumptionem urgeat?</i>	
<i>Si peregrina perseverant, nulla ne-</i>	<i>cel.</i>

I. **S**acramentum Eucharistiae à Christo Domino institutum esse, vt sumatur, nemo Christianorum ignorare potest. Nam & nomina cibi atque potus, quae



sumuntur obtinet & vt sumatur, Christi mandato vrgentur fideles. Nisi inquit Dominus Ioan. 6. manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Hinc idem Dominus Sacramentum primò instituens dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum; & rursus porrigens calicem: Bibite ex eo omnes, Matth. 26.

2. Hæc cum ita sint, non sine causâ quæritur, vtrum etiam si species Sacramentales Christus in Sacramento deponat, & peregrinas quasi assumat, sumi vel debeat, vel possit. Horror forsitan suadebit sumptionem intermittendam; necessitas verò diuini præcepti, nõ negligendam.

3. Duplici distinctione præmissâ res definienda est. Altera ex parte specierum Sacramentalium sumitur; altera ex parte obligationis sumendi. Nam ibi vel species Sacramentales post peregrinas, sub quibus Christus apparuit, sunt restitutæ; vel eadem perseuerant. Hic verò, vel quid fieri necesse sit; vel quid possit fieri, disputatio est.

4. Ergo, si species sacramentales Sacramento sunt restitutæ, reuerenter illæ, religiosèque sunt sumendæ. Quid enim hic sumptionem potest prohibere? An horror peregrinarum specierum? at illæ iam sunt depositæ. An periculum quod timetur, vomitus? at illud hic non maius, quàm si nullâ obseruata fuisset transmutatio? An lex forte, vel mandatum sumptionem vetans? at quæ vetet, nulla inuenitur.

5. Quid? quod Sacerdoti (si hæc transmutatio specierum tempore sacrificij accidat) necessitas incumbat,

vt

vt species Sacramentales sumat. Probabile enim est, non minus ad perfectionem sacrificij necessariam esse, summptionem vtriusque speciei, quàm vtriusque consecrationem. Quo fit etiam, vt quando alteram speciem deficere contingit ( contingit verò multis modis ) illius noua consecratio sit necessaria, ne mancum sit, mutilumque sacrificium.

6. Verùm si peregrinæ formæ permaneant, tanta necessitas species illas sumendi, non est, nec ipsis quidem Sacerdotibus imposita; nec si horror etiam summptionem non impediret; nec etiam, si nulla propter vomitum irreuerentia timeretur. Sed nec vlla lex est, quæ summptionem mandat.

7. Addo, quod non sine ratione dubitent quidam, vtrum possit sub peregrinis speciebus sacramentum sumi. Certe inueniuntur inter scholasticos D. D. non pauci, nec leuis eruditionis, qui conseruandas, non consumendas illas species arbitrentur. Et hi partim pro suâ sententiâ, credunt esse horrorem sumentium; partim irreuerentiam, quæ per vomitum potest accidere; partim etiam, quod hic sub formâ humani cibi ( sub quâ Christus sumendum reliquit ) Sacramentum non accipiatur.

8. Nos ad has leges neminem adstringimus, nec tantam illis necessitatem imponimus, quid enim, si nullus sit horror, nullum irreuerentiæ periculum? Sed tamen quia consuetudo recepta est, vt species conseruentur, potiùs conseruandas, quàm absumentas existimamus.

9. Consuetudini forsitan, graues rationes causam dederunt. Neque enim dubium est, harum specierum,

præsentia, in fide Christi fideles confirmari; maioribus stimulus ad dignè Sacramenta tractanda instigari; pluribus diuinæ beneficentiæ argumentis, ad gratiarum actionem prouocari.

10. Cæterum hîc nunc quæstio oritur, quid sacrificanti sacerdoti sit agendum, si mutatio Sacramentalium specierum in peregrinas, tempore sacrificij accidat, an nouam auspicabitur consecrationem? Ità sentiunt quidam; siue in utrâque specie transmutatio sit facta, siue in alterâ tantum; propterea, quod perfectum sacrificium, vt dicunt postulet, vt non solum Deo offeratur, verum, etiam à sacrificante absumatur. Vt quidem hoc fiat, præbamus; verum utrùm omnino necessariû, non intelligim⁹.

11. Fortè neque si in utrâque specie, transmutatio est factâ, nouâ vtriusque speciei consecratione est opus; neque opus alterius speciei consecratione, si facta est mutatio tantum in alterâ. Quia ibi non supplebitur sacrificij defectus; sed noua consecratione nouum repetetur sacrificium. Hic non necesse est supplere alteram sacrificij partem, quod iam antea sacrificium fuerit perfectum, vtriusque speciei consecratione. Vt porro totum (id est sub utrâque parte) à sacrificante sumatur, quæ ratio cogat hîc, vbi miraculo quasi, prohiberi Sacerdos videtur, non intelligo.

#### C A P V T II.

*An Christo sub speciebus Sacramentalibus, et Sacramento Christum continenti, diuinus cultus tribui possit, ac debeat?*

Chri-

*Christus sub Sacramentalibus speciebus est adorandus;*

*adoratio.*

*Quia etiam tum verus est Deus;*

*Adorandum etiam est, ipsum Sacramentum Eucharistia, quod*

*Magnis argumentis urgemur ad hanc adorationem;*

*Christum continet;*

*Sunt qui hanc adorationem velint præceptam.*

*Patet exemplo purpura Regia,*

*Sententiâ Patrum,*

*Definitione Conciliorum.*

*Recepta, & probata fuit olim hæc*

1. **D**E tribus in his Apparitionibus Christi Sacramentalibus, sub speciebus peregrinis, quæstio esse potest; quando in controuersiam vocatur, an & quis ijs, cultus, reuerentiâque debeatur. De speciebus quæ verè Christi corpus, sanguinèque continent; quales illas esse diximus, sub quibus verè vini panisque substantia potest existere. Deinde de speciebus, in quibus tanta facta est alteratio, vt panis vini que substantia sub ijs nequeat conseruari. Denique de speciebus quibusdam, quæ & omnino à Sacramentalibus sunt distinctæ, & Christum sub imagine vel pueri Crucifixi &c. referunt. De his tribus inquam quæstio est; quia horum trium semper aliquod in his Apparitionibus inuenitur. Sed ad primum respondebitur præfenti capite.

2. De hoc verò duo à nobis asseruntur. Primum est Christum sub speciebus eiusmodi Sacramentalibus adorandum esse; alterum, totum quod in oculos incurrit, nimirum species corpus Dominicum continentes esse adorandum. [ Quorum vtrumque speciebus eiusmodi peregrinis, quæ cum substantiâ panis & vini, adeoque etiam corpore & sanguine Christi consistunt, cum speciebus

bus

bus consuetis siue ordinarijs Sacramenti est commune, iisdemque argumentis probatur, quia non minus sub illis, quam istis est Christus.] Prius autem, quod asserimus, illis opponimus, qui corpus Christi in Sacramento contineri negant; aut si hoc concedant, negant adorandum; quia non eo fine, ut adoretur, in Sacramento sit relictum, sed solum ut sumatur. Posterius illis aduersatur, qui quia timent, ne diuinum honorem ad creaturas transferant, volunt Christum, sed non Sacramentum esse adorandum.

3. Verum facillime prius demonstratur. Quid enim? an non iuste Dominum Deum adoraueris? aut Dominus Deus non est, qui sub Sacramento est, Christus IESVS? Alium Iesum sub Sacramento ignoramus, quam quem in simbolo confitemur; Dominum nostrum, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine: Quod vero adorandus sit, ita cordibus hominum impressa est lex, ut expungi nulla ratione possit. Ut interim taceam adorationem Dei preceptam, & Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis. & Apocal. 14. Adorate eum, qui fecit coelum & terram. & Psal. 69. Adorate eum omnes Angeli eius.

4. Hinc mirum non est, quod diuinum honorem, Christo olim inter homines versanti, quidam tribuerint, nulla etiam habita ratione, ubi adorarent. Adorarunt in stabulo Reges Matth. 2. existentem in via leprosus, Matth. 9. & mulier Chananæa Matth. 15. in templo cæcus natus, Ioan. 9. in utero matris Baptista Ioannes Luc. 1.

5. Porro, qui per se adorandus est Dominus, ille in Sacramento maioribus argumentis homines ad adorationem urget; argumentis scilicet, summæ humanitatis & bene-

bencvolentia. Quid enim hæc possint & debeant, docent duo insignes adoratores Christi, Centurio atque Thomas. quorum hic post exhibita vulnera in illam vocem prorupit, Dominus meus, & Deus meus; ille propensum in se Domini studium sentiens, Domine dicebat, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Quocirca cum in Eucharistia Sacramento, maioribus argumentis suum erga homines studium Dominus demonstret, non adorandus solum, sed pluribus nominibus, iustioribusque ex causis adorandus est.

6. Nec est, quod quis hic præceptum urgeat adorationem imperantis, quasi nihil facere liceat, quod præceptum non sit. Plurima & honestissima sunt, & Deo gratissima, ad quæ nullâ necessitate præcepti, sed solâ honestatis ratione urgentur mortales. Quid si ex horum genere sit, Christi in Sacramento Eucharistia adoratio?

7. Et ut à materiâ nostrâ non discedamus, quo præcepto urgebantur, tres Magi, quando recens natum adorârunt Dominum in Bethlehem? quoniam cæcus natus, quando viuum adoravit in templo? quo Centurio, quando pendentem in Cruce? Quod si naturæ legem proferas, eandem ego producam pro adorando Christo in Eucharistia; quoniam alius in Eucharistia, non adoratur, quàm quem adorârunt Magi, Cæcus, Centurio.

8. Addo, quod quidam adorationem Christi in Eucharistia, præceptam velint; & quidem Psal. 98. vbi dicitur: adorete scabellum pedum eius. Pedum enim Christi scabellum est terra, secundum illud Isaia 66. Cælum, mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ

adorari dicitur, quando sub specie panis, quem terra produxit, Christus adoratur. Certè ità hunc locum exponit B. Augustinus, in eundem Psalmum. Verba eius sunt sequentia.

9. Videte fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit: Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quid sit scabellum pedum Dei. Et quomodo adorabimus terram, cum dicat apertè Scriptura: Dominum Deum tuum adorabis; hic dicit: adorete scabellum pedum eius? Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum eius. Quæro, quid sit scabellum pedum eius? & dicit Scriptura: terra scabellum pedum meorum. Fluquans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic. Et inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia ipse in carne ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit; inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum Domini; & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hactenus B. Augustinus.

10. Hanc adorationem Christi in Eucharistiâ, Patres  
&

& maiores nostri non ignorârunt. Nam eorum quidam, Christum adorârunt; quidam adorandum docuerunt; quidam rectè adoratum tradiderunt.

11. Adorârunt B. Thomas, cuius egregius extat Rhythmus: Adoro te deuotè, latens deitas, Quæ sub his figuris verè latitas. Adorârunt, quicumque Sacramentum perceperunt. Neque enim huic cibum quisquam sumit, nisi prius adoratum, teste B. Augustino. Adorârunt, qui vñ sunt Liturgijs Basilij, Iacobi, Chrysofomi, quæ omnes adorationem continent.

12. Adorandum docuerunt Cyrillus Cateches. 5. Mystag. sic scribens, accede adorationis in modum, & venerationis. B. Chrysof. exemplo Magorum, qui adorârunt in stabulo; homil. 24. in 1. ad Corinth. Origines denique, qui homiliâ, 5. in diuers. Euang. locos, à communicantibus corpori & sanguini Domini, vult dicendum esse illud Centurionis: Domine non sum dignus, &c.

13. Docuerunt bene adorari Damasc. l. 4. fidei Orthod. cap. 14. dicens: Veneramur ipsum, tum corporis; tum animæ puritate. Augustinus quoque.

Nos inquit, in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus. Et B. Greg. orat. de obitu sororis docet sororem post adorationem Eucharistiæ, & orationem ad Christum in Eucharistiâ factam, pristinæ sanitati restitutam esse.

14. Et hi quidem, ab hominibus tradiderunt adoratum; adorari etiam ab Angelis docuerunt B. Gregorius, atque Chrysofomus. Quis inquit, B. Greg. l. 4. Dialog. c. 58. fidelium habere dubium possit, in ipsâ immolationis



horâ , ad Sacerdotis vocem cælum aperiri , in illo IESV Christi mysterio Angelorum choros adesse? Idem docet Chrysoft. duobus exemplis , l. 6. de Sacerd.

15. Hinc suspicor , ritus apud Catholicos inualuit , vt sub tremendis Missæ sacrificijs hostia eleuetur ; scilicet , vt præfens populus , quem in Sacramento agnoscit Christum præsentem , eundem quo par est , religionis cultu reuerentiâque prosequatur. Habeat hic ritus alias quoque causas , atque rationes ; hanc haud obscure insinuat Basiliius , lib. de Spiritu sancto , c. 27. cum sic loquitur : Inuocationis verba , cum ostenditur panis Eucharistiæ , & poculum benedictionis , quis sanctorum nobis in scripto reliquit ?

16. Quocirca optimè Can. 6. sess. 13. Definierunt Patres Concilij Tridentini. Si quis dixerit inquit , in sancto Eucharistiæ Sacramento , Christum , vnigenitum , Dei filium , non esse cultu latriæ etiam externo , adorandum ; atque ideò nec festiuâ peculiari celebritate venerandum ; neque in processionibus , secundùm laudabilem & vniuersalem sanctæ Ecclesiæ ritum & consuetudinem , solenniter circumgestandum , vel non publicè vt adoretur , populo proponendum ; & eius adoratores esse idololatrias , anathema sit. Atque ita prius illud demonstratum est , esse nimirum Christum sub speciebus Sacramentalibus adorandum , quamdiu sub ipsis continetur.

17. Posterius duplicem potest habere sensum. Vnus est vt & Christum dicamus adorandum , & præterea adorandas species ; ita vt in adoratione Christi , specierum non habeatur ratio , & in cultu specierum excludatur  
Chri-

Christus. Alter, vt species à Christo non secernamus, sed adoratio in Sacramentum feratur, quod sunt species Christum continentes. Hoc posteriori modo, non priori illo dictum volumus, totum quod in oculos incurrit, adorandum esse.

18. Exemplo, regiae purpuræ vtrumque fit manifestum. Hanc etenim, si à rege mente cogitationeque se pares, & materiæ ex quâ constat, rationem tantum habeas, non dices honore aut reuerentiâ dignam. At si purpuratus tibi Rex occurrat, & cogitatione purpuram à rege non distinxeris, non malè purpuratum regem, & in purpurâ regem adoraueris. Ità si species tantum attendas, quâ accidentia sunt quantitati inhærentia, per se & solas, nullo honore dignaberis; magno autem meritò dignaberis, si à corpore Domini non se creueris.

19. Hinc est, quod non Christum tantum in Sacramento, sed etiam Sacramentum Christum continens, adorandum dicamus, quemadmodum dicimus adorandum non tantum regem, qui purpuram indutus est, sed ipsum quoque purpuratum. Et modus hic loquendi idcirco probatur, quod eundem & sanctissimi, doctissimi- que Patres vsurparunt, & grauiissima Concilia.

20. B. August. l. 1. & serm. 28. de verbis Apostoli, nostrum hoc, de quo quæstio est, vocat cæleste atque venerabile Sacramentum. Et lib. 20. contra Faustum c. 13. Sacramentum religionis, cui longè diuersus cultus, quam pani communi, aut vino debeat. Sic religiosissimus Pontifex & Martyr Alexander, sub nomine oblationis de hoc Sacramento loquens, docet hanc ab om-

nibus venerandam esse, & colendam.

21. Eâdem phrasi utitur Concilium Viennense, sub Clemente V. celebratum; nam & venerandum, & adorandū dicit Sacramentum altaris. Et Tridentinum Sess. 13. c. 5. docet piè admodum, religiosèque in Ecclesiam, Dei introductum hunc morem, ut singulis annis ipsum Sacramentum, singulari veneratione & solennitate celebretur. Probat etiam morem receptum, quo cultus patriæ illi defertur. Ut idcirco credi debeat, optimè ab Ecclesiâ inuitari Christianos, ad hunc cultum Sacramento deferendum, cum dicitur & Canitur: Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.

## CAPUT III.

*An & quæ reuerentia debeat speciebns, sub quibus iam panis & vini substantia esse nequit; ideòque nec verè Christi corpus, aut sanguis est?*

<i>Non malè honor &amp; reuerentia his- ce speciebus tribuitur à fide- libus;</i>	<i>Debetur iisdem honor, qualis reli- quus;</i>
<i>Quia olim bene tributa;</i>	<i>Quia sunt quasi aliquid Christi.</i>
<i>Eandem Deus miraculis probat,</i>	<i>Honor &amp; cultus hic inferior est illo, qui tribuitur personis;</i>
<i>Et confirmat cultus aliarum re- rum.</i>	<i>Vterque tamen ab eâ virtute est.</i>

I. **D**uplices sunt species, siue res, quæ post Sacramentum aliquando relinquuntur. Aliæ enim carnem vel sanguinem referunt; aliæ

aliæ neque carnem, aut sanguinem, neque panem aut vinum; sed tertium quid, in quod vel species carnis & sanguinis, vel species panis & vini sunt conuersæ.

2. De his duplex hoc loco quæstio est. Altera an honor & reuerentia aliqua ijs debeat; & altera, quæ debeat? Et vtrarumque specierum eadem ratio est. Si quæ his debetur, eadem debetur vtrisque; nec his alia, quàm illis; nec his maior, quàm illis. Propterea quod neutra Christum contineant; & quæ vtrisque tribuenda est, tribuenda sit ea solùm ratione, quod sub his, licet aliter affectis, Christi aliquando corpus, sanguisque latuerit.

3. Ergo vt de quæstione priori, priùs constituamus, dubium non est, quin ijs reuerentia aliqua tribuenda sit. Neque enim quis temere damnarit, iam à multis annis receptam legem, & probatam consuetudinem; quæ hæ res, in quos Sacramentales species quandòque conuersæ leguntur, religiosè conseruantur, & piè à Catholicis coluntur atque honorantur.

4. Sed & hunc cultum, Deus miraculis atque prodigijs confirmare, & vrgere videtur. Exemplo sunt inter alias, species, quarum vna Aufidi in Piceno, plures Bruxellis in Brabantia conseruantur. Quot, quantisque hæ & clarent hodie, & multis annis claruerunt? Illorum meminit Bozius l. 14. de notis Ecclesiæ, c. 7. horum Theodorus Loer, Carthusianus Colonienfis; & post eundem Bredembachius in suis Collationibus.

5. Et profectò non minus his speciebus reuerentia, qualis qualis etiã, debetur, quàm vel cineribus, in quor

San

Sanctorum corpora à Tyrannis redacta sunt; vel pulueri, qui apud Sanctorum reliquias collectus est; vel oleo, quod in ipsorum honorem accenditur; vel floribus, qui de Sanctorum sepulchris, quibus honoris causam sparsi fuerunt, sublatis sunt. Maior enim harum specierum cum Christi corpore, cui summa debetur reuerentia, fuit coniunctio, quam illorum cum reliquijs Sanctorum, propter quas illa in honore habentur. Quam verò iuste his rebus honor tribuatur, etiam miracula confirmant.

6. B. Hieronymus in Epist. ad Marcell. quam scripsit nomine Paulæ, & Eustochij, inter alia bona, quæ sunt in Palæstinâ, numerat posse adorari sacros cineres, S. Ioan. Baptistæ, Helisæi, & Abdiæ, qui ibidem seruantur.

7. Pro puluere, qui circa Martyrum sepulchra inuentus est, seruit B. Greg. l. 3. Dialog. c. 17. qui fideli certâque attestazione refert, ex puluere collecto ex altaris crepidine, mortuum ad vitam esse reuocatum. Multa de hoc, qui pleraque expertus est, habet alter Gregorius Turonensis de miraculis S. Martini l. 1. c. 1. & l. 3. c. 12. & l. 4. c. 32. & sequentibus. Idem insinuat tertius Gregorius, Nyssenus, in orat. ad Theodorum, quando sic loquitur: Si quis puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur; atque tanquam res magni pretij condenda, terra colligitur.

8. Sic ingentia miracula edita, ad oleum ex lychnis ad martyrum sepulchra, refert Theodoretus, in histor. SS. Patrum. Et eodem vnctum corpus emortuum filij Irenæi testatur B. August. l. 22. de Ciuit. Dei. c. 3.

9. Idem

9. Idem Augustinus ibidem est pro floribus; docetque eandem gratiam floribus, qui sacrarum reliquiarum loculis spargi consueverunt, tribui, quam habent ipsæ reliquiæ. Exemplum huius, B. Augustini verbis damus. Cæca mulier inquit, vt ad Episcopum portantem sacra pignora (S. Stephani) duceretur, orauit; flores, quos ferebat, dedit; recepit; oculis admouit; protinus vidit. Stupentibus cunctis, qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlteriùs, non requirens.

10. Constitutum ergo sit, optimè has res in honore haberi. Sed quæris de eo, quod secundum est, quis ijs honor, cultus, aut reuerentia tribuenda sit? Respondetur eandem, quæ Reliquijs tribuitur; ideoque non absolutam tribuendam esse, sed respectiuam, quam in ordine ad id habent, quod per se honore, reuerentiâque est dignû, quòd hic Christus est; cuius quædam quasi reliquiæ sunt eiusmodi species, vtpote relictæ ex accidentibus, quæ per Christi in Eucharistiâ corpus, suam quasi subsistentiam, habuerunt.

11. Itaque cultus hic inferior est illo, quam personis, quarum reliquiæ sunt, deferimus. Illæ quidem per se honore sunt dignæ; hæ quem habent, personarum ratione honorem habent. Sed tamen ab eâdem religionis virtute vterque proficiscitur, quod quâ ratione fiat, docet Suarez in fine tomi 1.

in 3. pag.

X

CAP. IV.

## CAPVT IV.

*An & qua reuerentia debeaturspeciebus, quæ  
Christum sub formâ pueri, aut Cru-  
cifixi referunt.*

*Si cum dictis formis permaneant  
species Sacramentales, rectè  
Christum, & formas Christi  
sontinentes adoraueris.*

*Si species Sacramentales non per-  
maneant, etiam his formis  
non malè tribueris eundem,  
quem Christo, honorem.*

1. **D**Vobis modis potest accidere, vt sub formâ  
pueri, aut Crucifixi Christus appareat; vno  
saluis speciebus Sacramentalibus, altero  
ijs corruptis. Hic Sacramentales transe-  
unt in species peregrinas; ibi ad Sacramentales hæ pere-  
næ accedunt. Vtrobique Christo suus honor tribuendus  
est.

2. Et in priori illo modo res difficultatem non ha-  
bet. Quemadmodum enim vno eodémque adorationis  
actû, in Sacramentum quod Christum continet, & Chri-  
stum, qui in Sacramento continetur, ferimur; nec Sa-  
cramentum à Christo, aut Christum à Sacramento distin-  
guimus; itâ vno eodémque actû hic ferimur in Christi for-  
mam Sacramento præsentem, atque in Sacramentum  
Christi formam referentem.

3. Neque obstat, quod puer v.g. aut quælibet spe-  
cies alia, quæ videtur, reuera Christus non sit; quemad-  
modum neque obstat, quod Sacramentum propriè Chri-  
stus

stus non sit, & tamen verè adoretur. Etiam purpuræ regium honorem deferimus, & à rege non distinguimus, quamvis propriè purpura Rex non sit, sed opus industrij artificis.

4. Posterior modus difficilior videtur. Neque enim hic in Sacramento præsens est Christus; propterea, quod esse deserint Sacramentales species Christum continentes. Neque etiam puer, aut alia quæcunque effigies, quæ in oculos incurrit, réuera est Christus. Cui igitur hic religionis cultum deferes?

5. Deferes tamen hic non malè hisce speciebus eundem cultum, quem Christo; propterea, quod Christum, referunt. Neque enim alia formarum harum conditio est, quàm illarū, sub quibus Christus conspicitur in Apparitionibus Impersonalibus; in quibus quamvis etiam *ὑποσώπῳ*, siue personaliter præsens non sit, ipsius formæ atque imagini idem deferretur, qui *ὑποσώπῳ* siue personaliter præsentem deferretur honor & cultus. Docent hæc exempla, quæ de impersonali Christi Apparitione aliàs afferentur.

6. Ex veteris testamenti Apparitionibus res clarior est. Nunquam per se Deus ibi visus est; quidquid videbatur, Angelorum fuit opus. Quid verò? an idcirco deliquerunt, qui diuinum hic honorem tribuerunt? aut forte nullus eundem ipsi tribuit? Tribuerunt inter alios Abraham, Loth, Iacob, Iosue; quemadmodum diximus lib. I. Apparit. V. T. c. 3.

7. Quod vero non deliquerint, multa demonstrant, Istud imprimis, quod hoc nomine quasi commendantur.



& nobis ad imitandum proponuntur. Quemadmodum, facile intelliget, qui attentius Apparitiones illas discusserit.

8. Deinde Deus, id est Angelus Dei personam sustinens, diuinum honorem sibi tribui nunquam passus fuisset. ne hominibus idololatriæ, aut erroris causa esset. At verò passus est tribui non semel; quinimo ad eundem quasi inuitavit, vt quando sacrificium expectauit à Gedeone.

9. Addo quod Deus, id est in Dei personam Angelus, hoc ipso hunc honorem vrisse credi potest, quod se præsentem esse seque videri atque audiri declarauerit. An potuit non reuereri, diuinumque honorem prosequi Moyses, atque Iudæorum populus, quem præsentem in monte Sina editis signis agnoscebat, & cuius hanc vocem audiebat. Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. Et tamen Angelus erat qui loque-

batur, teste S. Stephano Act. 7. non ipse in propria personam

DEVS.

L A V S D E O.

I N D E X

## INDEX CAPITVM.

## P A R S I.

*De harum apparitionum veritate, atq;  
conditione.*

## C A P V T I.

An dentur Apparitiones inusitatae, sub speciebus non purè sacramentalibus, sed prodigijs & peregrinis.

Dari probatur varijs exemplis?

*Videkindi Ducis Saxonia.*

*Hebraei cuiusdam.*

*Rustici in Auernico.*

*Ciuis Colonienfis.*

*Matrona Italica.*

*Sacerdotis dubitantis.*

*Abbatis increduli.*

*Plegili Presbyteri.*

*Sacerdotis Duacensis.*

*Pauli Form. Sacrilegi.*

*Dorothea Lazecha.*

*Iudeorum Bruxellensium.*

*Petri Dani.*

*Mulieris Zelotypiâ laborantis.*

*Amalphantani Episcopi.*

*Mulieris procacis.*

*Godeschalci religiosi.*

*Adolphi de Dioferne.*

*Episcopi Lizonia.*

*Cuiusdam dubitantis de Eucharistiâ*

*Sacerdotis sordidi.*

*Mulieris infamis.*

*Sacerdotis cuiusdam.*

*Rustici apud Carnotenses.*

*Mulieris Flandra.*

*Pueri Andegauensis.*

*Presbyteri cuiusdam.*

*Hugonis Linconienfis.*

*Maria OEgniacensis.*

*Eduardi Anglorum Regis.*

## Additiones.

*Mulieris Augustanae in Tem-  
plo S. Crucis.*

*Presbyteri Itali.*

*Presbyteri Parisiensis.*

X 3

Vi

*Victoria Hispanorum de Mahometanis.* Presbyteri Florentini.  
*Miraculi Scabalitani.* Osualdi Müller in Sceneld.

## CAPVT II.

An allatis præcedenti capite exemplis, sufficienter fides fiat Sacramentalibus Christi Apparitionibus in Eucharistiâ?

<i>Plurimam pro ipsis faciunt,</i>	<i>Et sanguis, qui inueniuntur.</i>
<i>Ipsarum multitudo omni fere tempore.</i>	<i>Miracula, quæ hodie, &amp; semper facta apud has hostias.</i>
<i>Earundem varietas.</i>	<i>Annales regnorum, ciuitatum.</i>
<i>Testes diuersissimi.</i>	<i>Scriptores docti &amp; piy, qui ipsas descripserunt.</i>
<i>Pluralitas conditionis &amp; Sexus, quibus ostensa.</i>	<i>Similia prodigia, quæ circa Eucharistiam acciderunt.</i>
<i>Hostia prodigiosa.</i>	

## CAPVT III.

Varias admodum esse Apparitiones Sacramentales sub peregrinâ specie, & inusitatâ; & diuidi easdem posse.

<i>Proratione formarum, quæ videntur.</i>	<i>Locorum, quibus fiunt.</i>
<i>Proratione hominum, quibus fiunt Apparitiones.</i>	<i>Proratione effectuum, qui sequuntur Apparitiones.</i>
<i>Proratione temporum &amp;</i>	<i>Proratione finium qui Deo potuerunt esse propofiti.</i>

## CAPVT IV.

Ad quod genus Apparitionum hæ Sacramentales sub specie peregrinâ & inusitatâ pertineant.

*Perti-*

*Pertinent non ad intellectuales. visa est, accidit mutatio.*  
*Non ad imaginarias; non auriculares. Vt quando omnium sensus idem indicauit,*  
*Sed ad visibiles, siue oculares. Quando item magnus timor allatus.*  
*Non semper in speciebus Sacramentalibus accidit mutatio, Quando sanguis calice exceptus,*  
*Vt quando à paucis visa peregrina species, aut Christo non conuenientes. Item mappas & lintea infecit.*  
*Quando species per multos annos conseruata.*  
*Quando fructus & finis easdem nõ frequentius ex parte rei, siue specierum nulla fit mutatio, postulant.*  
*Nihilominus vera aliquando, quæ iuxta regulas S. Thomæ.*

## P A R S II.

*De re, siue materiâ harum Apparitionum.*

## CAPVT I.

*Sub quibus, & quot formarum generibus, Sacramentalis sub peregrinâ & inusitatâ specie, Apparitio obseruata sit.*

*Obseruata est sub specie Infantis. Manus humana.*  
*Christi Crucifixi. Carnis partim, partim panis.*  
*Christi venientis ad iudicium. Sanguinis separati.*  
*Faciei Christi. Hostia cruentata.*  
*Carnis humane. Agni immaculati.*  
*Carnis cruentata. Fortè & aliarum rerum.*

## CAPVT II.

*Quodnam fuerit contentum specierum insolitarum, quæ in Eucharistiæ Sacramento acciderunt: & principio, An Christus, vel Christi caro, aut sanguis, illæ fuerint; aut fuerint sub ijs, quæ sunt visa.*

*Omnis*

- Omnipotentia Dei fieri potest, ut sub propria specie Christus, quemadmodum est in caelis, appareat in Sacramento.*
- Quia non repugnat idem corpus pluribus locis esse.*
- Eadem Dei omnipotentia fieri potest, ut Christus verè appareat in Sacramento sub specie pueri.*
- Quia potest ipse, quam vult, formam assumere.*
- Eadem omnipotentia, potest verè sub formam Agni apparere.*
- Probat id Apparitio sub specie Sacramentali.*
- Quandocumq; in his Apparitionibus, nulla fit in speciebus Sacramentalibus mutatio, verè est, & manet sub ijs Christus.*
- Quia salvis semper adest Christus.*
- Quandocumq; salua specie Sacramentali, sub formam peregrinam (in quam videtur, sed non est conuersa Sacramentalis) apparet, vel infans, vel caro, &c.*
- Non illa Christum continent, nec sunt Christus, vel eius caro, &c.*
- Quia forma peregrina in aere tantum, aut organo sensus tunc est.*
- Quandocumq; specierum Sacramentalium aliquid permanet, illud verè Christum continet, quamuis peregrina ad Sacramentalem accedat.*
- Quia salvis speciebus manet Christus.*
- Non personaliter aut realiter est, aut videtur Christus, quando hostia mutata apparet aut puer, aut crucifixus.*
- Quia nec conuenit ibi Christum esse.*
- Nec necessarium ibi Christum esse.*
- Non Christi est caro, aut sanguis, qui mutatis speciebus Sacramentalibus aliquando apparet.*
- Eadem huius sunt rationes, quae praecedentis.*
- Quandocumq; in dictis Apparitionibus tanta in Sacramento mutatio non facta est, quin sub ijs substantia panis & vini possit subsistere, verè manet Christus.*
- Quia salvis speciebus à Sacramento non desinit Christus.*
- Vt plurimum in his Apparitionibus verè adest Christus.*
- Quia ut plurimum, manent saluae species Sacramentales.*

Addi-

## Additiones.

- Etiã sub pueri specie, saluas manere species Sacramentales, & sub ijs Christum, sentit S. Thomas.* Ob sensum & usum Ecclesia, miraculorum frequentiam, & quia nihil solidi, in contrariũ affertur.
- De hostiis, qua solũ colorem car- neum & sanguineum praeferunt, ita certum est, vt sine temeritate negari non possit.* Hinc stabilitur veritas miraculose Sacramenti Augusta, in Ecclesia S. Crucis.

## CAPVT III.

Quid sentiendum de formis pueri, infantis, Christi Crucifixi, eiusdem ad iudicium venientis, faciei humanæ, Agni quoque, &c. quæ aliquando in Sacramento Eucharistiæ apparuerunt.

- Non verus viuusq; infans, aut puer fuit, qui visus est;* seruatus? *Et desinens puer, quo perueniret?*
- Quia miraculum postularet; quo quid hic opus, & qualis ipsi anima fuisset?* *An etiam moreretur aliquando? Deniq; non necesse est, vt viuus fuerit puer: nec quidquam, vt viuus sit, suadet.*
- Cuius etiam fuisset religionis;*
- Cur nullus unquam morus in eo ob-*

## CAPVT IV.

Quid sentiendum de carne visâ in Eucharistiâ, item de sanguine, qui aliquando fluxit de hostiâ, & aliquando obseruatus in calice?

- Non vera caro fuit, aut verus sanguis, qui aliquando apparuit.* *netratio dimensionum? Et quando desinit, in quid desinit?*
- Neg; enim alicuius bruti fuit;* *Et pro breui tempore opus non est;*
- Neg; hominis; cuius enim? Longo, non sine miraculo conseruatur.*
- Et si mansit cum speciebus Sacramentalibus, facta ne fuit pe-* *Finis etiam hic propositus non postulat*

lat veram carnem, verum. Deniq; nihil potest afferri pro verâ que sanguinem, carne.

## CAPVT V.

Quodnam sit, vel fuerit subiectum formarum & Specierum peregrinarum, quæ in Apparitionibus Sacramentalibus sunt obseruatæ?

Quandôq; sunt hæc forma in solo vi- In his enim speciebus sunt, qua ad sus organo; formas concurrunt;  
 Quandôq; in solo medio; Hæ item species sunt hic mutationis subiectum;  
 Quandôq; in corpore Sacramentû circumstante. Hæ apparent formis peregrinis cessantibus.  
 Nunquam sunt in Christi corpore, aut sanguine; Quantitas propriè est formarum harum subiectum.  
 Non enim hoc illarum est capax. Aliquando forma sunt extra species Sacramentales.  
 Sunt plerumq; in speciebus Sacramentalibus;

## P A R S III.

De causis Efficientibus Apparitionum Sacramentalium Christi, sub peregrinâ specie.

## CAPVT I.

De modis, quibus Sacramentales Apparitiones sub peregrinis formis accidunt.

Accidunt varijs modis; scilicet Hi modi accidunt in Apparitionibus, quæ vel sunt totæ in ipsis speciebus Sacramentalibus;  
 Aut nouæ speciei productione tantum; Veltotæ extra ipsas;  
 Aut accessione nouæ quantitatis ad Sacramentalem; Vel partim extra, partim in speciebus.  
 Aut immutatione quantitatis Sacramentalis; Verumtamen non omnes in omnibus Apparitionibus locum habent, &c.  
 Aut alteratione quantitatum in speciebus Sacramentalibus;

## CAP. II.

GAPVT II.

Quæ sit Causa Efficiens Apparitionis Christi Sacramentalis sub peregrinis speciebus, & quâ ratione formæ fiant.

<i>Possunt omnes à Deo esse &amp; fieri.</i>	<i>perficiuntur,</i>
<i>Quid enim non potest Deus?</i>	<i>Illusione sensuum,</i>
<i>Possunt &amp; Angelorum operâ fieri.</i>	<i>Quando in Sacramento nulla ac-</i>
<i>Quia, quæ hîc requiruntur, Ange-</i>	<i>cidit mutatio;</i>
<i>li possunt prestare,</i>	<i>Motu locali;</i>
<i>Ab Angelis quoque ipsæ fiunt.</i>	<i>Atque applicatione actiuorum ad</i>
<i>Ita postulat ratio diuina proniden-</i>	<i>passiua,</i>
<i>tia.</i>	<i>Quando fit mutatio in Sacramento.</i>
<i>Tribus modis Angelorum opera</i>	

CAPVT III.

An Apparitiones Christi Sacramentales sub peregrinis speciebus, quandoque Dæmonum operâ perficiantur; quibusuè hæ Apparitiones Dæmoniacæ accidant.

<i>Possunt fieri, quia plurimum va-</i>	<i>Non rectè dicitur illas à Dæmoni-</i>
<i>lent dæmones iis, quæ hîc re-</i>	<i>bus factas, ubi species tan-</i>
<i>quiruntur.</i>	<i>dem corrumpuntur.</i>
<i>Virtute mouendi corpora,</i>	<i>Quæ aliquando acciderunt, ea ac-</i>
<i>Facultate coniungendi actiua pas-</i>	<i>ciderunt hominibus non infi-</i>
<i>siuis;</i>	<i>delibus;</i>
<i>Illusione sensuum.</i>	<i>Non de veritate Sacramenti du-</i>
<i>Verisimile quoq, aliquando factas.</i>	<i>bitantibus;</i>
<i>Si quæ facta sunt, ex iis fuerunt, in</i>	<i>Non Sacramento abutentibus;</i>
<i>quibus nulla in speciebus Sa-</i>	<i>Sed sibi de sanctitate blâdientibus,</i>
<i>cramentalibus mutatio ac-</i>	<i>Sèque aliis superbè præferenti-</i>
<i>cidit.</i>	<i>bis, &amp;c.</i>

CAPVT IV.

De causis quasi Efficientibus harum Apparitionum, siue de occasionibus, quæ quodammodo causæ Apparitionum dici possunt.



*In harum numero sunt,*  
*Quorundam pius affectus;*  
*Impietas, & studium vindictæ,*  
*Nutatio in fide.*

*Indignitas sumentium Sacramentis*  
*Profanatio eorundem;*  
*Studium cognoscendi mysteria no-*  
*stræ religionis.*

## CAPVT V.

An cum, vel sine hominum peccato, aliquando acciderint hæ peregrinæ, & inusitatæ in Sacramento Apparitiones.

*Quidam non peccârunt datâ ipsis*  
*occasione;*  
*Fortè & bene fecerunt.*

*Qui scierunt in Sacramentum,*  
*Non videntur absq; omni peccato*  
*fuisse omnes, qui has Appa-*  
*ritiones optârunt.*

*Quidam grauitè peccârunt; vt*  
*qui dubitârunt de veritate*  
*Sacramenti;*  
*Non videtur licitum easdem opta-*  
*re.*

*Qui indignè ad Sacramentum ac-*  
*cesserunt;*  
*Id insinuant in similibus rebus,*  
*B. Augustinus & Gerson & c.*

*Qui idem in profanos vsus conuer-*

## PARS IV.

*De finibus in his Apparitionibus Sacramentalibus Christi sub specie peregrinâ propositis.*

## CAPVT I.

Quomodo à Deo fides Christiana, his Apparitionibus Christi sub peregrinis speciebus promoueat.

*Promouetur primùm ipsa fides in*  
*genere;*  
*De sufficientiâ alterius speciei;*  
*De Sacramento extra vsum.*

*Quia in quibusdam nihil aliud po-*  
*tuit esse propositum.*  
*Magnum argumentum ex ipsis*  
*sumitur, pro tribus dictis ar-*  
*ticulis.*

*Confirmantur deinde iisdem, qui-*  
*dam fidei articuli, de verita-*

Sed

*Sed tamen, non autoritate harum Apparitionum tantum, nuntur Christiani: Sed praterca verbo Dei, Traditione maiorum, Consensu totius Eccl-sia.*

## Additiones.

*Miraculosum Sacramentum Augusta, Catholicam Religionem generatim, rum: quoad substantiam, subiectum, modum, & ex providentiâ Dei.*  
*Et speciatim, tres articulos de Eucharistiâ confirmat. In quarto gradu est miraculosum Sacramentum Augusta.*  
*Quatuor sunt gradus miraculo-*

## CAPVT II.

*Quomodo eadem Apparitiones sub peregrinis formis, faciant ad bonos & Christianos mores.*

*Docent non abutendum Sacramento Eucharistia; Sacriligia cauenda, vt qua Deum habeant ultorem;*  
*Non cum conscientia peccati illud accipiendum; Magnam vim esse orationis; Placere Deo renuntiationem mundi;*  
*Nullâ irreuerentiâ accipiendum; di;*  
*Suum illi honorem deferendum; Deo nihil esse occultum, &c.*

## CAPVT III.

*Quod, & quomodo ad consolationem piorum, & Christo amantium, faciant Apparitiones Sacramentales, sub peregrinâ specie.*

*Facere, dubium esse non potest. Non datur piis hâc ratione, caussa superbiendi.*  
*Quia in quibusdam non potuit aliud propositum Deo fuisse. Quin potius hinc proficiunt in gratitudine;*  
*Idem insinuant diuina promissiones; In studio Christianarum virtutum;*  
*Idem modus agendi Dei, cum improbis; Deumque sibi nouis rationibus de- uinciunt;*  
*Idem reuelationes piis facta;*

## CAPVT IV.

Quod Deus quandoque voluerit accidere has Apparitiones, ad confundendos hostes Christianæ Religio-

nis,

<i>Solet enim haud rarò confundere contrarios Christo</i>	<i>paritionibus Deo propositam confusionem quorundam, probant facta Iudeis aliquibus,</i>
<i>In propriâ personâ;</i>	
<i>Item in suis membris;</i>	
<i>In suis imaginibus;</i>	<i>Quibus neg, profuerunt ad fidem amplectendam, &amp; confirmandam;</i>
<i>In rebus ad cultum Christi pertinentibus;</i>	
<i>In mandatis ab ipso datis;</i>	<i>Neg, ad Christianos mores;</i>
<i>Et fuisse etiam in quibusdam Ap-</i>	<i>Neg, ad spiritualem consolationem.</i>

## CAPVT V.

Quidnam Dæmonibus propositum sit, quando similibus Apparitionibus homines dementantur.

<i>Proposita est hominum pernicios. non salus;</i>	<i>Complacentiam sui excitat facilè magnitudo siue dignitas Apparitionis, eiusdemqueraritas.</i>
<i>Et utuntur ad id mediis illi conuenientibus.</i>	
<i>Hic ipsis plurimum seruit complacentia sui.</i>	<i>Hinc ardua solet Deus adiungere reuelationibus;</i>
<i>Præsens animarum periculum, ob superbiam &amp; contemptum aliorum &amp;c.</i>	<i>Et Sancti easdem deprecari, aut ceriè non expetere solent, &amp;c.</i>

## CAPVT VI.

Inquiruntur causæ & rationes formarum peregrinarum, sub quibus Christus creditur exhibitus in Sacramento,

<i>Vna omnibus est communis, Dei voluntas;</i>	<i>Propria alia &amp; alia.</i>
	<i>Crucifixæ ratio, memoria passionis;</i>
	<i>Pue-</i>

*Pueri, exiguitas specierum;*

*Innocentia Christi;*

*Castitaseiusdem.*

*Faciei, Christi presentia;*

*Carnis, Christi item presentia;*

*Et quia caro ipsius est cibus hic.*

*Sanguinis, eadem rationes;*

*Et quia Sanguis in utrâque specie datur.*

*Manus, Christi in Sacramento Potentia.*

*Agni, illud: ecce agnus Dei.*

*Et quia ipse agnus occisus ab origine mundi.*

## P A R S V.

*De usu specierum Sacramentalium peregrinarum sub quibus Christus creditur apparuisse.*

### C A P V T I.

*Quid sentiendum de sumptione specierum peregrinarum, in Sacramento Eucharistiæ.*

*Si post peregrinas depositas, redeant*

*Sacramentales, illa sumenda*

*sunt.*

*Quid enim Sumptionem hic pro-*

*hibet?*

*Quid quod lex sumptionem urgeat?*

*Si peregrina per seuerant, nulla ne-*

*cessitas incumbit easdem sumendi;*

*Nec quidem Sacerdoti celebranti;*

*Eidem nec incumbit nouam conse-*

*crationem instituire, ut per-*

*fectum absoluat Sacrificium.*

### C A P V T II.

*An Christo sub speciebus Sacramentalibus, & Sacramento Christi-  
stum continenti, diuinus cultus tribui possit,*

*ac debeat.*

*Christus sub Sacramentalibus spe-*

*ciebus est adorandus;*

*Quia etiam tum verus est Deus;*

*Magnis argumentis urgemur ad*

*hanc adorationem;*

*Sunt qui hanc adorationem velint  
præceptam.*

*Recepta, & probata fuit olim hac*

*adoratio.*

*Adorandum etiam est ipsum Sa-*

*crata.*

*cramētum Eucharistia, quod Sententiâ Patrum,*  
*Christum continet; Definitione Conciliorum.*  
*Patet exemplo purpura Regia,*

## CAPVT III.

An & quæ reuerentia debeat speciebꝫ, sub quibus iam panis & vini substantia esse nequit; ideoquo nec verè Christi corpus, aut sanguis est.

*Non malè honor & reuerentia his- Debetur iisdem honor, qualis reli-*  
*ce speciebꝫ tribuitur à fide- quis;*  
*bus; Quia sũt quasi aliquid Christi.*  
*Quia olim bene tributa; Honor & cultus hĩc inferior est illo,*  
*Eandem Deus miraculis probat, qui tribuitur personis;*  
*Et confirmat cultus aliarum re- Vterque tamen ab eã virtute est.*  
*rum.*

## CAPVT IV.

An, & quæ reuerentia debeat speciebꝫ, quæ Christum formã pueri, aut Crucifixi referunt.

*Si cum dictis formis permaneant Si species Sacramentales non per-*  
*species Sacramentales, rectè maneant, etiam his formis*  
*Christum, & formas Christi non male, tribueris eundem,*  
*continentes adoraueris. quem Christo, honorem.*

Omnia ad maiorem DEI Gloriam, qui mirabilis est in Sacramento Eucharistiæ.



IN NOMINE DOMINI


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.











Thyrens  
21  
Apparition  
necus  
Euchari-

450

N. III

Th

4879